JURIS NATURÆ, ET GENTIUM PRINCIPIA, ET OFFICIA AD...

Francisco Suárez,
Giovanni Battista Guarini

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
6 B
3

Digitized by Google

JURIS NATURÆ, ET GENTIUM
PRINCIPIA, ET OFFICIA
AD CHRISTIANÆ DOCTRINÆ REGULAM

EXACTA, ET EXPLICATA

A DOCTORE EXIMIO

FRANCISCO SUAREZ S.J.

Digeſſit, Notiſque perpetuis illuſtravit

JOANNES BAPTISTA

GUARINI

S. J. PANORMITANUS ETHICES PROFESSOR

Eminentiſſimo Principi

D. CAROLO

CARDINALI REZZONICO

S. R. E. CAMERARIO

EDITIO ALTERA AUCTIOR.

PANORMI, ET ROMÆ 1769.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI

Superiorum facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

D. CAROLO

CARDINALI REZZONICO

S. R. E. CAMERARIO.

JOANNES BAPTISTA FAURE S. J.

FELICITATEM.

SOles interdum, ac ſæpe numero EMINENTISSIME PRINCEPS, quod alios item facecere audio tui ſimiles honore, doctrina, omni dignitate præſtantes viros, publicæ utilitatis

Digitized by Google

amore inflammatus in ſermonibus tuis improbare illa, quibus jam prope obruimur, tot volumina, quæ ſpecioſo quidem titulo *De Jure Naturæ*, *ac Gentium* doctrinæ cupidis, ſuique periculi ignaris adoleſcentibus ſeſe commendant, nihilque magnum, ac præclarum non pollicentur: nec tamen interea præſtant quidquam aliud, quam ut eorum, a quibus leguntur, mentes, ac voluntates a Catholica primum, deinde ab omni prorſus a Deo revelata Religione abducant, atque abalienent.

Hoc tuum, tuique ſimilium de hujuſcemodi libris judicium incredibile dictu eſt, quanta cum voluptate audiant probi homi-

nes

nes quotquot ſunt in rem Chriſtianam bene animati , ejuſque dignitati , atque amplitudini ſtudent . Multos illi jam annos magno cum dolore vident , nec ſine cauſa conqueruntur , Italicam, atque adeo Romanam Juventutem cæco potius quodam furoris impetu elatam , quam prudentis animi conſilio adductam , hoc genus librorum ſectari ; hoc magni facere , hoc graviſſimo ſuo , Reique publicæ malo ſtudioſiſſime lectitare . Nec vero ſperant poſſe fieri , ut imperiti , ac nimis creduli adoleſcentes revocentur ab hoc ſtudio , vel morbo potius, ac pæne inſania , quam in eorum animis effecerunt laudes immodicæ , quibus ubique

 ter-

Digitized by Google

terrarum, ac gentium Proteſtantes Grotium, ac Pufendorſium ad Cælum extulerunt, niſi ſi audierint eoſdem Scriptores Sapientum judicio repudiari, atque contemni.

Nec vero deſunt multæ, graveſque cauſæ, cur contemnantur. Sileo cæteras. Una illa parumne magna videtur, quod tanta videlicet hominum erga ſe ſtudia, tantoſque plauſus concitarunt hac potiſſimum ratione: Quod ſe primum tradidiſſe profeſſi ſunt præclarum quoddam, atque humano generi ſalutare, ac neceſſarium ſcientiæ genus a Catholicis aut ignoratum ante id tempus, atque neglectum, aut certe nondum tractatum a quoquam ita, ut di-

Digitized by Google

dignitas, ac magnitudo rei poſtulabat?

Id quidem illos tam falſo jactaſſe, atque imprudentibus obtruſiſſe apparet, ut qui vel primos tres libros de Legibus Franciſci Suareſii (mitto alios doctores catholicos magno numero, qui Grotio mirifico homini doctrinæ hujus primo, ut fertur, inventori viam præiverunt, facemque prætulerunt) qui, inquam, unius Suareſii quos dixi libros cum Grotianis, ac Pufendorfianis voluminibus contulerint, multo uberiorem, multoque meliorem, multo etiam clariorem in illo, quam in his doctrinam ſint inventuri. Quod multo etiam facilius ita eſſe de-

prehendent, ſi prætèrea ejuſdem eximii Doctoris libros reliquos De legibus, & tractatum De actibus humanis in manus ſumere, ac pauliſper legere non graventur.

Sed quoniam optandum eſt magis, quam poſtulandum, ut hæc longi temporis, multique laboris indigens comparatio fiat ab adoleſcentibus, Joannes Baptiſta Guarinus ſapienti, ac, quemadmodum confido, ſalutari conſilio hunc ſibi laborem eorum cauſa ſuſcipiendum putavit. Itaque confecit Opuſculum, in quo Juris Naturæ, ac Gentium ſcientiam exhibet hauſtam ex Suareſio, cujus aſſertiones, & aſſertionum firmamenta concinne, atque ordina-

na-

Digitized by Google

natim exponit, atque eadem confert cum doctrina recentiorum Proteſtantum. Qua ratione hoc aſſequitur, ut lector non ſolum ſcientiam Juris Naturalis condiſcat; ſed etiam una, eademque opera intelligat, planeque ſentiat, hujuſmodi ſcientiam non eſſe novam, ſed veterem, ac tritam ſcriptis, & diſputationibus Catholicorum.

Hoc tam utile opuſculum Eruditorum, ac publici boni ſtudioſorum hominum voto flagitatum in lucem edere cum ſtatuiſſem iterata editione, tibi potiſſimum EMINENTISSIME PRINCEPS inſcribendum, tuoque nomine illuſtrandum putavi: ut qui Clementem XIII. Patruum

tuum, omnium virtutum exemplar præclariſſimum imitatus, tantiſque veſtigiis inſiſtens improbare ſoles doctrinam *Juris Naturæ, ac Gentium* deprompttam ex heterodoxis ſcriptoribus, non ſine magno multorum periculo, atque pernicie, eamdem ex puriſſimis Catholicorum ſcriptorum fontibus hauſtam tuo judicio probares, tuoque patrocinio tuerere. Quod quidem patrocinium ampliſſimæ tuæ, quam tanta cum laude ſuſtines, perſonæ, valde, ac vehementer congruit. In tua enim potiſſimum tutela eſt Romanum Archigymnaſium, in quo cœtu nullo non tempore omne ſacræ, & profanæ literaturæ genus, ac præſertim Civilis, & Ca-

Digitized by Google

& Canonica Juriſprudentia floruit immunis ab iis erroribus, quibus tam egregiam facultatem fœdare conati ſunt tot libris in lucem editis ii, qui naturaliſtæ, ac publiciſtæ vocantur. Res eſt profecto Principum virorum ſtudio, ac favore digniſſima, dare operam, ut eorum auctoritate permota, Romana præſertim, atque Italica Juventus, quæ optimorum ingeniorum copia, ubertate, perſpicacia nulli ſecunda eſt, inducat in animum, ſibique perſuadeat, Eccleſiam Catholicam eorum, qui extra Eccleſiam ſunt, magiſterio non indigere. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron?* Sic enim licet

affari miſeros adoleſcentes, ut olim Elias Ochoziæ Regis nuntios affatus eſt.

Cardinalis quidem Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini (a) animadvertit ab ea Synodo ad ſuam ætatem multos virorum [illegible] ſanctitate, ſummaque

(a) Card. Pallavicinus *Hiſt. Conc. Triden. Introd. cap.*VII. *n.*5. „ La dove tra' „ Cattolici ſono fioriti dal Concilio di „ Trento in qua' tanti uomini ſommi per „ ſantità, e per dottrina, l' ereſia non „ può contare ne uno de' primi, ne molti de' ſecondi, i quali ſono ſtati eminenti più di lezione, e d' erudizione, „ che di ſcienza, e d' ingegno. I Principali di eſſi Ugo Grozio, e Gerardo „ Voſſio „ *& cæt. Lib.*1. *cap.*17. *num.*4. „ La ſetta loro (di Lutero, e di Melantone) non è rimaſta in molta riputazione, e fra ſuoi ſeguaci appena può annoverare ſcrittori di rilevato intendimento „.

que doctrina præditos floruiſſe inter Catholicos, contraque inter Hæreticos nec ſanctitate ullum, nec vero multos doctrina præſtitiſſe, eoſque ipſos lectione potius, & eruditione, quam ſcientia, & ingenio abundaſſe, quorum in numero præcipuum nominat Ugonem Grotium. Ejuſdem Pallavicini præclara vox eſt (a), Eccleſiam Catholicam ſi, quod fieri non poteſt, divina illa peculiari ope deſtituatur, tamen hoc habituram, ut eſſet pars multo maxima, multoque optima humanæ ſa-

(a) „ Quando eziamdio la Chieſa Cattolica non aveſſe l' aſſiſtenza dello Spirito Santo, ſarebbe ella certamente la maggior parte della ſapienza umana „. Card. Pallav. *l.* VII. *cap.* VII. *n.* 23.

ſapientiæ (a). Deo enim ſic placuiſſe, ut poſt Eccleſiam fundatam opera hominum imperitorum, ac rudium, quos mirifice ſua ipſe ſapientia, ac virtute complevit, quo apertius auctoris divinitas poſſet intelligi, in eadem fundata jam, & conſtituta, ſumma, & excellens doctrina certam ſibi ſedem, ac domicilium ſtabile collocaret. Itaque omni ætate ſacros

(a) *Lib.* VII. *cap.* XIV. *n.* 5. „ Volendoſi oſſervare, che Dio dopo aver piantata la Fede per mezzo di uomini deboli, e idioti, avvalorati da lui con ſapienza, e con virtù miracoloſa, perchè in queſt'opera ſi ravviſaſſe più apertamente la divinità dell' autore; dopo quei tempi dico ha voluto, che l' eccellenza della dottrina abiti, come in reſidenza perpetua nella ſua Chieſa. E così per ogni età i più letterati uomini ſono ſtati i ſacri Dottori.

Digitized by Google

cros Doctores fuiſſe omnium hominum literatiſſimos. Hæc utinam Romani, atque Italici juvenes intelligant aliquando, ac pro certo habeant, eos, qui ſcientiæ cupidi Catholicos Doctores relinquunt, eamque ſibi ex heterodoxorum libris petendam arbitrantur, falli turpiter, ac flagitioſe, & eſſe per quam ſimiles dementiſſimis illis hominibus, de quibus eſt apud Prophetam illa Dei querela: *Dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Habes, EMINENTISSIME PRINCEPS, quo conſilio hanc editionem adornarim: habes cauſam, ut mihi perſuadeo optimam, &

æquiſ-

Digitized by Google

æquiſſimam, cur te potiſſimum in Patronum deligendum putarim. Reliquum eſt, ut hunc quantulumcunque laborem meum æqui, bonique conſulas, quem, ſi tibi acciderit non ingratus, non exiguo fructu compenſatum eſſe exiſtimabo.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO.

Librum inſcriptum *Juris Naturæ*, *&* *Gentium*: Jubente Rm̃o P. Thoma Auguſtino Ricchinio, ea, quæ par erat, diligentia perlegi, nihil plane in eo potui deprehendere quod ſit a bonis moribus aut fidei præceptis alienum: quin imo ſolidis argumentis retunduntur Novatorum calumniæ, qui ſeſe unicos Juris Naturæ, & Gentium Doctores ineptiſſime jactitantes, ſanam ſcholaſticorum doctrinam de jure eorum ſuperbe contemnunt: Hinc dignum cenſeo, ut perutilis diſſertatio typis mandetur.

Romæ in Collegio SS. Vincentii, & Anaſtaſii in Trivio Kalend. Aug. 1769.

Thomas Gabrini C. R. M.
Sacræ Theologiæ Lector.

REIM-

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. J. Patr. Antioch. Viceſg.

REIMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

Digitized by Google

INDEX.

Epiſtola ad Excellentiſſimum D. Com. Joſephum Truchſeſs, in qua præcipue quæritur, an brevi Opuſculo tradi poſſit plena, atque perfecta Juris naturalis ſcientia? Pag. 27.

Ad Juris Naturæ, & Gentium Principia, & Officia Diſſertatio Præliminaris.

§. I. *De Philoſophis Græcis.* 1
§. II. *De Romanis.* 4
§. III. *De Chriſtianis, & SS. Patribus.* 7
§. IV. *De Acatholicis, eorumque in Catholicos Scriptores calumniis.* 8
§. V. *De Acatholicorum in SS. Patres Conviciis.* 11
§. VI. *De recto Juris Naturæ uſu.* 17
§. VII. *De recta addiſcendi Juris Naturalis ratione.* 27
§. VIII. *Operis totius Idea, & Series.* 30

Pars Prior de Juris Naturæ, & Gentium Principiis.

CAPUT I.

De Actuum Moralitate. 35
Theſis unica. Ibid.
§. I. *De prima Moralitatis origine.* 36
§. II. *Suarezii ſententia explicatur* 38
§. III. *Heineccii ſententia.* 39
§. IV. *Pufendorfii ſententia proponitur.* Ibid.
§. V. *Rationes contra Pufendorfii ſententiam.* 41

Reſ-

Digitized by Google

§.VI *Reſponſiones ad objecta Puſendorſii*. P. 43

CAPUT II.

De libertate, & aliis proximis Conſtitutivis Moralitatis. 44

Theſis prima, & ſecunda. 44 & 46

§.I. *De recta libertatis notione, etiam ex lumine naturali*. 48

§.II. *De advertentia rationis quid ſit, & quotuplex?* 50

§.III. *Quomodo advertentia agat in opus?* 51

§.IV. *Heineccii de advertentia, & libertate ſententia expenditur*. 52

§.V. *Puſendorſii etiam opinio de libertate quoad aliqua approbatur* 54

§.VI. *De libertatis indifferentia ex Puſendorſio*. 55

§.VII. *Bonitas objectiva non tollit indifferentiam libertatis ex Puſendorſio*. 57

§.VIII. *De advertentia intellectus ex Puſendorſio*. 59

§.IX. *De Leibnitzii ratione ſufficienti*. 60

§.X. *Explicatio Leibnitzianæ rationis ſufficientis ex Suarez*. 61

§.XI. *Impugnatio Leibnitzianæ rationis ſufficientis ex Suarez*. 62

§.XII. *Occupatio Suarezii ad Leibnitzii argumenta*. 64

CAPUT III.

De intrinſeco principio Moralitatis. 67

Theſis unica. Ibid.

§.I. *Communis Catholicorum ſententia*. 68

§.II. *Grotii ſententia ab Adverſariis vindicatur*. 70

§.III. *Heineccii ſententia explicatur*. 71

Pu-

§.IV. *Puſendorfii ſententia proponitur*. P.71.
§.V. *Impugnatur eadem ſententia*. 73
§.VI. *Recta Leibnitzii de Puſendorfio cenſura*. 74
§.VII. *Antilogia quædam Puſendorfii*. 75
§.VIII. *Novæ contra Puſendorfium rationes*. 76
§.IX *Præcluditur evaſio Puſendorfii*. 77
§.X. *Præpoſtera Puſendorfii ratiocinatio*. 79
§.XI. *Rationibus Puſendorfii ſatisfit*. 80

CAPUT IV.

De honeſtate Actuum humanorum. 82
Theſes ſex. a pag. 82. ad 92
§.I. *De Bono honeſto reſpiciente mores*. ibid.
§.II. *De Bono honeſto reſpiciente naturam*. 94
§.III. *Quo ſenſu utrumque Bonum aliquando confunditur?* 95
§.IV. *Wolfii ſententia de Actuum Humanorum Honeſtate explicatur*. 96
§.V. *Wolfii Theoria de Honeſtate Actuum Humanorum impugnatur*. 99
§.VI. *Impium Spinoſæ Syſtema de Regula Honeſtatis*. 101
§.VII. *Non minus abſona Hobbeſii principia exploduntur*. 103
§.VIII. *Contra Puſendorfium Grotius defenditur*. 104
§.IX. *Puſendorfii ſententia de Lege, Honeſtatis regula*. 105
§.X. *Manifeſti errores Puſendorfii quoad vulgi inſtitutionem*. 106
§.XI. *Aliquorum Catholicorum ſententia explicatur, & noſtra ex Auguſtino aſſeritur*. 108

An

§.XII. *An idem ſit conveniens Naturæ rationali, ac conforme rectæ rationi*. Pag. 109
§.XIII. *Argumenta Puſendorfii reſolvuntur*. 110
§.XIV. *Veterum Philoſophorum de interna Actuum Honeſtate ſententia*. 114

CAPUT V.

De Lege in genere. 116
Theſis unica. Ibid.
§.I. *Quomodo Lex differat a Præcepto?* 117
§.II. *Puſendorfiana Legis definitio excluditur*. 118
§.III. *Grotiana Legis definitio non plane probatur, ſed male a Puſendorfio rejicitur*. 119
§.IV. *Legis definitio a Barbeyracio tradita rejicitur*. 120
§.V. *Quæ poteſtas requiritur in ferente Legem?* 121
§.VI. *Quæ requiruntur ex parte Legislatoris, & ex parte Legis?* 123
§.VII. *In quem ferri poteſt Lex?* 124

CAPUT VI.

De vi obligandi in qualibet Lege. 125
Theſis unica. Ibid.
§.I. *Quid ſit Lex æterna?* 126
§.II. *Quos reſpicit Lex æterna?* 128
§.III. *Quomodo Lex æterna obliget?* 129
§.IV. *Quomodo promulgetur?* 130

CAPUT VII.

De Lege naturali. 131
Theſis unica. Ibid.
§.I. *Quomodo inſinuetur Lex Naturalis?* 133
§.II. *De repugnantia peccati mere Philoſophici,*

ci, tum in Suarezii, tum in aliorum Catholicorum ſententia. Pag. 134

§.III. *Hobbeſii de Lege Naturali errores.* 137

§.IV. *Acatholicorum de Lege Naturali ſententiæ.* 139

§.V. *De Legis Naturalis definitione ſine ulla ad Deum relatione.* 140

§.VI. *Unde habet vim obligandi Lex Naturalis?* 143

CAPUT VIII.

De perpetuitate Legis Naturalis. 144

Theſis unica. Ibid.

§.I. *Legis Naturalis immutabilitas.* 146

§.II. *De Honeſtate mutabili, vel immutabili rei.* 147

§.III. *Quid alii opinentur de hac legis immutabilitate?* 147

CAPUT IX.

De Legis Naturalis firmitate. 149

Theſis unica. Ibid.

§.I. *De multiplici Præceptorum Juris Naturæ genere.* 152

§.II. *De multiplici in Divinis Attributis ratione.* Ibid.

§.III. *An Deus unquam in Lege Naturali diſpenſaverit?* 153

§.IV. *De Puſendorſii in ſuis principiis inconſtantia.* 154

CAPUT X.

De principiis cognoſcitivis Legis Naturalis. 158

Theſes tres. a pag. 158. ad 162

De

§.I. *De Varia Acceptione principii cognoſcitivi Juris Naturæ.* Pag. 162
§.II. *De principio proxime cognoſcitivo.* 164
§.III. *De Grotii, ac Pufendorfii principiis cognoſcitivis Juris Naturæ.* 166
§.IV. *Improbatur ſocialitatis prædictæ ſyſtema.* 168
§.V. *De Cumberlandi principio Juris Naturalis cognoſcitivo.* 170
§.VI. *De principio Juris* Naturalis *cognoſcitivo Heineccii.* 171
§.VII. *De Wolfii principio cognoſcitivo Juris Naturæ.* 172
§.VIII. *Rejicitur Wolfii principium Juris Naturæ cognoſcitivum.* 173
§IX *Confirmatur noſtrum Juris Naturæ proximum principium cognoſcitivum.* 174
§.X. *Statuitur principium Juris Naturæ cognoſcitivum habens rationem finis.* 175

CAPUT XI.

De Jure Gentium. 178
Theſes quatuor. a pag. 178. ad 189
§.I. *De prima Juris Gentium conſtitutione.* Ibid.
§ II. *Juris Gentium exiſtentia contra Pufendorfium, & Barbeyracium aſſeritur.* 191
§.III. *Idem Jus Gentium ab Heineccii objectionibus vindicatur.* 192
§.IV. *Grotii in Jure Gentium cum Catholicis conſenſio, & mala Barbeyracii cenſura.* 194

CAPUT XII.

De convenientia, & diſconvenientia inter Jus Naturæ, & Jus Gentium. 198
The-

Theſes duæ. a pag.198. ad 201
§. Unicus *De Jure Gentium apud Juris conſultos.* 201

CAPUT XIII.

De proprietatibus Juris Gentium. 202
Theſis prima. Ibid.
§. Unicus *Cauſa Juris Gentium conſtituendi.* 203
Theſis ſecunda. Ibid.
§. Unicus *Finis Juris Gentium.* 204
Theſis tertia. Ibid.
§. Unicus *Diſcrimen Juris Gentium a Jure naturali.* 205
Theſis quarta. 207
§. Unicus *Exempla mutationis factæ in Jure Gentium.* Ibid.
Theſis quinta. 209
§. Unicus *Facilior Juris Gentium, quam Juris Naturalis ignorantia.* 210
Theſis ſexta. 211.

CAPUT XIV.

De differentia inter Jus Gentium, & Civile. 213
Theſes duæ. a pag.213. ad pag.215
§. Unicus *Satisfit Heineccii Oppoſitionibus.* 216

PARS POSTERIOR.

De officiis Juris Naturæ, & Gentium. 218

CAPUT I.

De Officiis erga Deum. 219
§. I. *De Fide,* Ibid.
§. II. *De Spe.* 220
§. III. *De Caritate.* 221
§. IV. *De Pœnitentia.* 222
§. V. *De Religione.* 223

CAPUT II.

De Officiis erga ſe ipſum. Pag. 225

CAPUT III.

De Officiis erga Proximum. 227
§. I. *De Hominum Societatibus.* Ibid.
§. II. *De Hominum Dominio in Homines.* 229
§. III. *De Hominum Dominio in Bona.* 233
§. IV. *De Mutua Hominum Caritate.* 234
§. V. *De Regulis ſervandis in officiorum concurſu, & mutua colliſione.* 239
Epilogus. 245
Appendix Apologetica. 247

Ex-

Excellentiſſimo D.

D. COMITI

JOSEPHO TRUCHSESS

DE ZEIL WRZAC

CANONICO ARGENTINENSI, ET COLONIENSI

JO: BAPTISTA FAURE S.J.

S. P. D.

TEnes opinor memoria, Truchſeſi Clariſſime, te cum in Seminario Romano degeres, ac Theologiæ operam dares, ſæpius ex me quæſiſſe, quid ſentirem de libris, quorum tanta copia eſſet in Germania, agentibus de Jure Naturæ, ac Gentium? Cujus ſcientiæ comparandæ cauſa ſolebat, ac ſolet fortaſſe etiamnum Germana Nobilitas liberos ſuos mittere in Accademias Proteſtantium, tanto cum damno Rei Catholicæ, quantum omnes intelligunt ac probatis Germanorum teſtimoniis, oſtendit doctiſſimus P. Deſingius

ex

ex inclito Ordine S. Benedicti in præfatione operis, quod de Jure Naturæ, ac Gentium ſcripſit contra Proteſtantes.

Idem ſæpe numero audivi, quæri ex me ab optimis, ac ſpectatiſſimis Alumnis Collegii Germanici, & Hungarici, qui pro eo, quo flagrant, ſtudio Catholicæ Religionis in Germania promovendæ, dum Romæ commorantur, dant operam, ut ſtudioſe cognoſcant de iis omnibus, quæ ſibi ad eam rem uſui fore arbitrantur. Addo præterea idem hoc ſciſcitatum eſſe ampliſſimum Cardinalem Lambergium ex hominibus doctiſſimis, atque ex illo ipſo, quem modo laudavi, Deſingio.

Cui quidem vir litteratiſſimus reſpondit idem, quod me tibi, atque illis, quos dixi, nobiliſſimis Alumnis memini reſpondiſſe ingenue, atque ex animi ſententia. Scientiam videlicet Juris Naturæ, ac Gentium multo melius, multoque tutius cognoſci in Libris Catholicorum, etiam illorum, qui ante Grotium, & Pufendorfium ſcripſerunt. Hos enim & horum aſſeclas, præterquamquod ſæpe aberrant a veritate, multaque habent, quæ Religioni, ac Bonis moribus adverſantur, cum Catholicis non poſſe conferri, nec eorum

rum ; quæ docent , varietate , copia , utilitate , nec vi , ac pondere argumentorum , quibus ea nituntur , nec ipſa denique claritate ordinis , quo collocantur.

Ac ne meum hoc judicium novum , atque mirificum videretur , ſolebam id confirmare auctoritate viri doctiſſimi , totique Romæ , ac literatis omnibus ſpectatiſſimi Joannis Antonii Blanchii Conſultoris S. Officii , atque auctoris præclari operis de *Politia Eccleſiaſtica* . Hic Magnus ſane vir , & Juris Naturæ , ac Gentium , quod ejus ſcripta declarant , peritiſſimus , hoc mihi teſtatus eſt : multo ſe uberiorem , multoque concinniorem harum rerum doctrinam in uno P. Leonardi Leſſii volumine de Juſtitia , & Jure , quam in omnium Proteſtantium libris reperiſſe . Quam ego me vocem unius Blanchii pluris facere dicebam , quam judicium vel adoleſcentium , vel ſi placet , etiam virorum matura jam ætate , qui pravo quodam ſtudio incenſi Pufendorfios ; Hobbeſios , Coccejos , Thomaſios , Heineccios, alioſque ejus generis Scriptores mirantur , ſummiſque laudibus ad Cælum extollunt , ſed ad eos nec legendos patientiam æque magnam , nec intelligendos ingenium æque ſagax , ac Blanchius , attullere .

Digitized by Google

Hæc tamen ego in familiari ſermone parce ſatis, atque obiter, nunc autem cum prodeat in lucem Opuſculum doctum ſane, ac pereruditum Jo. Bapt: Guarini de Jure Naturæ, ac Gentium, exiſtimavi eo me ſatis commode uti poſſe tamquam reſponſione multo uberiore, multoque ſolidiore, qua ſatisfaciam tibi, qua Ignatio Saleſio Comiti de Batthyan, Jo: Baptiſtæ Lib. Baroni de Thurn, Canonico Friſingenſi, Gabrieli Zerdahelyi, Simoni de Zambaiti, Ferdinando de Gehring, Ignatio a Jellachich, Antonio a Jaklich meis olim ornatiſſimis Auditoribus, quemadmodum duobus ſpectatiſſimis Regularibus P. D. Michaeli Ziegler Canonico Regulari S. Auguſtini P. Joſepho Zerdahelyi ex Ord: S. Pauli Primi Eremitæ, qui omnes Romæ in Collegio Germanico, & Hungarico Alumni una fuerunt, nunc omnes in vinea Domini excolenda ſtrenue verſantur. Idem hac editione Franciſco Comiti ab Attems reſponſum eſſe volo, qui hoc tempore in eodem Collegio degit, quemque gentili ſuo Archiepiſcopo hodierno Goritienſi virtutum maximarum laude parem fore merito confido: Idem Jo: Nepomuceno Lib. Baroni de Ströhl, & Canonico Straubingenſi, cujus integros mores, & præclaram, quam ornandi Catho-

tho-

tholici nominis ſpem prætulit, Friſingenſis etiam Eccleſiæ impertito Canonicatu, Clemens XIV. pro ea, qua Collegium Germanicum, atque Hungaricum paterna benevolentia complectitur, nuperrime honeſtavit.

Rogabis fortaſſe, hoc Opuſculum, quod mitto, putemne ejuſmodi eſſe, ut ſtudioſo Adoleſcenti tantam, quanta ſatis ſit, Juris Naturæ, ac Gentium cognitionem afferre poſſit?

Hæc me interrogatio admonet infelicis cujuſdam, ſed exitiabilis impoſturæ, quam faciunt Accademiæ Proteſtantium. Quæ, ut loquitur Deſingius: „ Jus „ Naturæ, ac Gentium, & quid præterea promittunt aliquot menſium tumultuaria enarratione infundere „ ex quo exiſtit levis quædam, & fucata ſcientia, cujus fiducia ſubnixi Adoleſcentuli de omni re impudenter ſententiam ferunt contra Theologos, & Canoniſtas, contra Pontifices, Concilia, Patres, de qua ſcientia verum eſt id, quod falſo, contraque omnium opinionem ſcripſit Rouſſeaus „ literas rebus publicis, atque hominum „ moribus perniciem attuliſſe „.

Accademiæ quidem Catholicorum ad hanc diem ſic exiſtimarunt, ſcientiam Juris Naturalis contineri in duabus primis trium illarum partium, quibus conſtat ſum-

ſumma S. Thomæ. In quarum priore agitur de Deo, ac deinde etiam de Homine, in poſteriore autem, Fine hominis conſtituto, ejuſdem rectæ, pravæque actiones examinantur, atque illarum tum intrinſeca, tum extrinſeca principia inveſtigantur. Quæ quidem quæruntur primo generatim, deinde ſingillatim; nec quidquam prætermittitur, quod pertineat ad virtutes, ad vitia, ad leges, ad ea omnia, quæ ad humanas actiones aliqua ratione referuntur.

Qui primam, & ſecundam partem ſummæ S. Thomæ accurate conſideraverit, videbit profecto, eamdem in iis materiam contineri, qua de agitur in LXXIIII. capitibus octo librorum Pufendorfii. Duas tamen eſſe diſſimilitudines animadvertet. Altera eſt, quod in S. Thoma, cæteriſque Theologis, qui ſunt in pretio apud Catholicos, ea materies in quæſtiones diſtributa conſpicitur apte, atque ordinatim: Quæſtio unaquæque ſua habet argumenta, & eorum quæ contra dicuntur confutationem: nihil eſt mancum, nihil abruptum, nihil obſcurum: Contra vero ſe res habet in LXXIIII. capitibus Pufendorfii, in quibus nec omnia, quæ cognitu neceſſaria ſunt, tractari video, & in

iis

Digitized by Google

iis , quæ tractantur nihil eſt , in quo mens acquieſcere , ac rei perfecta cognitione expleri poſſit , ut qui Pufendorfium , aut alium ejuſdem Sectæ Scriptorem legerit, eum neceſſe ſit ab ea lectione referre notitias rerum mancas , mutilas . dimidiatas , multiſque modis vitioſas . Altera diſſimilitudo eſt , quod cum ea ipſa , quæ de Jure Naturæ a Pufendorfio in LXXIIII. illis Capitibus aguntur , magnam affinitatem , nexumque habeant cum Metaphiſica, & Morali Philoſophia , ea , quæ ad has facultates pertinent , in S. Thoma , ac reliquis Catholicis Doctoribus inveniuntur , ut qui poſt Dialecticam , & Metaphyſicam ad eos legendos ſe conferunt , habeant omnia , quæ ad res penitus pernoſcendas uſui eſſe poſsunt : Contra qui Pufendorfium in manus ſumpſerit iiſdem illis notitiis deſtitutus , ei tenebras oboriri , atque illa , quæ legit , media nocte obſcuriora fieri neceſſe ſit .

Hoc ita ſe habere , nolo mihi credas , ſed ipſis , a quibus experientia veri confeſſionem expreſſit , Proteſtantibus . Hertius in epiſtola ad lectorem , quam præmiſit Pufendorfii editioni anni 1716. „ Profecto non ſemel conquerentes audivi „ ſtudioſos juvenes deterreri ſe a lectio-

„ ne

„ ne Pufendorfii ob ejus obſcuritatem „: Gudlingius in Sermone Præliminari §. 1. „ Pufendorfius, quoties eum pro ſuggeſtu „ explicavi, faſtidio fuit, quod homines con- „ turbet: cogitata ſua ſæpe neſcit rite ex- „ primere: Id evenit Pufendorfio, quod & „ Barbeyracius adnotavit „ Nova Scandiæ Svecicæ Accademia, coacto conventu, „ Pufendorfii *Jus Naturale monſtroſum*, „ Auctorem vero uti *Novatorem*, *& Acca-* „ *demicæ Juventutis corruptorem* damnavit.

Ex quibus facile poſſumus judicare, eos, qui Pufendorfium laudant, atque eximium doctorem eſſe prædicant, idcirco id facere, quod eum nunquam legerunt. Is certe, qui patienter legerat, P. Deſſingius in opere inſcripto *Larva detracta* cap. 13. de Pufendorfio tum alia multa, tum hæc ſcribere non dubitavit: „ Pu- „ fendorfium methodi, ac Logices ex- „ pertem fuiſſe, impetu pleraque effu- „ diſſe, ac ſæpe neſciiſſe quid diceret in „ ipſis fundamentis inveſtigandis „. Jam ſi ſcientia Juris Naturæ, ac Gentium manca eſt, nec ſatis explicata pro rei magnitudine in Pufendorfio, cujus octo libri in LXXIV. capita diſpertiti duo ſatis copioſa volumina conficiunt, quid judicandum videtur de tot compendiis confe-

fectis aliorum Proteſtantium opera, quorum fama eſt obſcurior?

Ex iis, quæ dixi, poteſt intelligi ſcientiam Juris Naturalis nec iis arboribus, quæ nonniſi integro ſæculo adoleſcunt, nec rurſus fungis ſimilem eſſe, qui imbre madefacti unius diei ſpatio maturitatem aſſequuntur. Qui more apud Catholicos uſitato biennium, vel triennium impenderit in S. Thomæ Summa, ac præcipue primis duabus partibus perdiſcendis, ſi modo ad eas acceſſerit Dialecticæ, ac Metaphiſicæ non ignarus, aut aliquem evolverit illuſtrium Theologorum, qui magni illius Magiſtri doctrinam interpretatione ſua illuſtraverit, noviſque acceſſionibus amplificaverit, is demum vir Juris Naturæ peritus merito dicetur.

Hoc tamen confirmo: P. Guarini Opuſculum quamquam efficere non poſſit, ut adoleſcens ſtudioſus tam magnam, ac tam late patentem Juris Naturalis ſcientiam mente comprehendat, præterquamquod alias multas utilitates, opportunitateſque præbeat in Auctorum Catholicorum, ac Proteſtantium criſi, hoc certe præſtare poſſe, ut is ſciat plura, eademque bene, ac ſatis firme cognita habeat, quam ſi legiſſet, ut hunc potiſſimum nomi-

minem, qui eſt aliis recentior, Heineccium, atque illius de Jure Naturæ, ac Gentium elementa edidiciſſet, Qui quidem Heineccius non præſtat, quod pollicitus eſt in titulo, ac fere totus *in Decoro, aut Jure Civili verſatur* quod in eo, ac jure, ut opinor, reprehendit Deſingius.

Expoſui meum de Guarini libello, ac de toto hoc ſtudii genere Judicium, quod te non improbaturum, vel certe meam tibi gratificandi voluntatem probaturum eſſe confido. Vale.

Digitized by Google

AD JURIS NATURÆ, ET GENTIUM
PRINCIPIA, ET OFFICIA
DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

QUæ Morum doctrinam ſpectat, præclariſſima eſt Philoſophiæ Pars, & ad cognitionem animi pulcherrima, & ad inſtituendos mores perutilis: Quæ vero Jus Naturæ, & Gentium attente ſcrutatur, ea Philoſophiæ totius Moralis baſis eſt, ac fundamentum. Nemo ſane vel mediocriter eruditus ignorat, quanti ſemper hanc morum Philoſophiam fecerint cujuſcumque ætatis Sapientes Viri, quorum longum eſſet vel nomina recenſere; nonnullos tamen juvat commemorare.

§. I.

De Philoſophis Græcis.

UT Ægyptios, Chaldæos, & Perſas præteream, quorum Ethicen Gundlingius perſecutus eſt *in hiſt. Phil. Mor. c.* I. Pythagoræ philoſophiam omnem ad virtutis ſtudium fuiſſe comparatam, (erat enim illi finis ὁμοίωσις τοῦ θεοῦ) neminem latet. Eminere deinde inter Græcos viſi ſunt complures; & ipſi quidem ob Philoſophiæ moralis excellentiam. Sic illorum ſeptem, quos Sapientes vocabant, effata non niſi mores reſpiciunt. Socratem, *virum* Ciceronis *l.* I. *de Orat.* judicio *Omnium Sapientiſſimum*, *&*

Digitized by Google

Sanctiſſimum, ad mores hominum formandos, vitamque rite inſtituendam Philoſophiæ ſtudium omne tranſtuliſſe, accepimus. Ejus Doctrina Morum vel hominem ſolum ſpectandum docet, vel ut eſt Paterfamilias, vel ut Civitatis eſt membrum. Ad primum ſpectat *Ethice* ejus; ad hominem, qua Pater eſt familiæ, *Œconomice* ejus pertinet; hominem in ſocietate verſantem *Politice* ejus reſpicit. Ejus dogmata habes *ap. Stanlejum in hiſt. Phil. tom.*1. *p.*3. *c.*15.

De Platone quid dicam? Etſi placitis ſuis moralem Philoſophiam corrupiſſe ab aliquibus cenſeatur, (ἄτοπα enim de animi ſubſtantia docuit); nihilominus ſolidas adeo de virtutibus præſertim, ac de ſummo bono protulit ſententias, ut ex Ethnicorum numero, qui propiùs ad Chriſtianæ moralis doctrinæ præcepta accederet, fuerit nemo. Ariſtotelis Etichorum ad Nicomachum libri decem, Magnorum Moralium libri duo, & Moralium ad Eudemum libri ſeptem totam exhibent Philoſophi hujus Morum Philoſophiam. De viri hujus Ethice idem dici poteſt, ac de ejus fortuna penes homines ejuſdem ætatis diverſos. Apud aliquos enim ſummum humanæ ſapientiæ faſtigium attigiſſe creditus eſt: aliis viciſſim ejus philoſophia nugaciſſima viſa eſt, litibuſque ſerendis unice accomodata. Buddeus *Iſag. hiſt. Theol. l.*1. *c.*4. §.31. in ea eſt opinione, cum Plato ad internam animi purgationem reſpiceret; Ariſtotelem contra vitæ tantum civilis ſibi habendam rationem putaſ-

putaſſe, eoque Philoſophiam ſuam moralem comparatam eſſe voluiſſe. Atque hanc, ſubdit, fuiſſe eorum opinionem, qui accuratius mentem Ariſtotelis introſpexerunt, civilem potius, quam moralem Philoſophiam tradidiſſe, hoc eſt, viri politici, & ad honores, magnaſque dignitates adſpirantis. Verum Buddeo ſubſcribere non placet; ex Ariſtotelis ipſius libris melior videtur Stanleii ſententia *Hiſt. Phil. tom.2. c.7.* ubi ait: „ Ethicæ addidit Ariſtoteles: felicitatem „ nec in bonis exterioribus conſtare, ſicut „ Polyenus ait, nec in animo ſolum, ſicut „ Plato dicebat: ſed habere quidem formam „ in anima, coinquinari autem, & con- „ ſtrictari ſolum ipſam ab exterioribus non „ bene ſe habentibus „. Peculiaria moralium præcepta ex Ariſtotele Stobæus congeſſit. Videatur apud Stanlejum *loc. cit.* ratio totius Ethices Ariſtotelis; ut inde manifeſtum fiat, quam vana ſint, ac falſa, quæ jactat Buddeus, (ubi ſupra) ſcilicet „ ejuſ- „ modi virtutes civiles cum in quemlibet „ hominem, quantumvis ſolis naturæ viri- „ bus inſtructum, cadant, ratio intelligitur, „ cur Ethica iſta Ariſtotelica cum dogma- „ tibus Pelagianorum egregie conſentiat, „ utpote qui itidem non alias virtutes, „ quam ad quas naturæ vires ſufficerent, „ admittebant „. Siquidem vanum eſt velle ab Ethnico virtutes admitti, quas ſolis naturæ viribus non conſequi ſe poſſe, affirmet. Deinde falſum eſt, ut Stanlejus oſtendit, non alias ab Ariſtotele in tota Ethica

Digitized by Google

niſi civiles agnoſci virtutes. Quare Buddeus ſuo Martino Luthero hæc ſcribens blandiri voluit; cujus apud ipſum nota erat vox: *Tota fere Ariſtotelis ethica peſſima eſt, gratiæ inimica. Error eſt, Ariſtotelis ſententiam de felicitate non repugnare doctrinæ catholicæ &c.*

Qui deinde conſecuti ſunt e Græcis Morum Philoſophiam non omiſerunt; ipſi etiam Cyrenaici, atque Epicuri Sectatores, corporis voluptatibus omnia tribuentes, magis videri, quam eſſe morales Philoſophi cupiebant. De Cynicis vero, ac Pyrronicis rerum omnium ἀδιαφορίαν propugnantibus, illud conſtat, moralitatis modos admiſiſſe, eos tamen, quos civiles leges tantum ſtatuerent. Peſtifera ſane dogmata, quæ tamen Hobbeſius, Spinoſa, Tolandus, Jerieus, aliique ex Hollandia, Angliaque Scriptores renovarunt, Honeſtatis principia, & Religionis fundamenta ad ſtatum mere civilem referentes: unde *Prudentiam*, ſeu citius *Simulationem* exigunt, ſeſe ad Cultum civilis Societatis accomodandi gratia. Id patet in libro: *L' Eſprit des Loix*.

§. II.

De Romanis.

ROmani vero in Morum doctrina, & J. N. præſtantiores, quam in reliqua philoſophia fuere. Unum, aut alterum proferre ſufficiat. Marci Tullii libros hac ſuper re quis ſine laude commemoret? *De fini-*

Digitized by Google

finibus bonorum, & malorum expendit Epicuri, Stoicorum, ac Peripateticorum de ſummo bono, ſummoque malo ſententias. *Tuſculanarum quæſtionum* liber primus *De contemnenda morte*, ſecundus *De tolerando dolore*, tertius *De ægritudine lenienda*, quartus *De reliquis animi perturbationibus*, & quintus, *Quod virtus ad beate vivendum ſe ipſa ſit contenta*, agit. *De Legibus* libri tres ad civilem prudentiam referri poſſunt: *De officiis* libri tres *ad Juriſprudentiam naturalem*. Quot pulcherrima ad omne honeſtatis genus continent, *Cato Major*, ſeu *De ſenectute*; *Lælius* ſeu *De Amicitia*; & *Stoicorum Paradoxa*? Illum omiſimus, cujus titulus *Hortenſius*, ſive *De Philoſophis*; cui Auguſt. fatebatur, debere ſe prima melioris mentis ſemina. Plutarchus inter Romanos Philoſophos, etſi græce ſcripſerit, accenſetur: cujus ethicen referunt *Vitæ parallelæ*, & *Moralia*.

Quæ de morali Philoſophia in univerſum ſpectata retulimus, de *Jurisprudentia naturali* dicta potiſſimum intelligimus. Etſi enim, ut Jo: Fr. Buddeus *loc. cit. c.4.* advertit, Juris naturalis principia per rectæ rationis uſum facile innoteſcant, immo juxta Apoſtoli phraſim omnium cordibus inſcripta ſint; adhuc plures extiterunt ex illis ipſis, quos ſupra commemoravimus, qui juris naturalis præcepta, & ſedulo excogitarunt, & optime tradiderunt. Commune apud hos ſcriptores juris naturæ vocabulum *Officiorum* titulo περὶ καθηκόντων exprimebatur.

At vero τῦ καθήκοντος nomen aliquando apud ipſos ſolas actiones honeſtas, aliquando etiam decoras, immo etiam utiles, ac noſtræ conſervationi inſervientes indicabat. Hoc vero ex ſingulorum peculiari ſyſtemate eſt dignoſcendum, ut certum ferri poſſit judicium. Sic apud Theodorum, illum ἀ'θεον, non aliud *officii* nomen exprimit, quam corporis voluptatem. Idem apud Pyrrhonios, ſeu Scepticos, nihil diſcriminis interni inter honeſtum, & turpe agnoſcentes; idem ferme obtinebat apud quoſdam Academicos. Epicurei vero officia, ut pote remoto Numine, nonniſi utilitate metiebantur. Contra vero reliqui, cum graviſſima incommoda reputarent, quæ ex prædictorum ſententiis traherentur, in eam ingreſſi ſunt opinionem, dari quædam per ſe turpia, aut honeſta citra omnem ad quamcumque legem reſpectum. Hoc autem ab eo differt quam maxime, dari ſcilicet per ſe jus aliquod naturæ, ſi vel maxime ponatur, *non eſſe Deum*; & Catholici primum illud aſſerentes, quemadmodum & Grotius aſſeruit, non affirmant tamen hoc, quemadmodum nec Grotius affirmavit: In quo cum Pufendorfio, & Barbeyracio fallitur etiam Jo: Fr. Buddeus. Atque hæc quidem de Ethnicorum in morali Philoſophia ſtudio, ac labore.

Digitized by Google

§. III.

De Chriſtianis, & Sanctis Patribus.

QUod Chriſtianorum reſpicit tempus, ſive Eccleſiæ Patres ſpectes, ſive Scholaſticos, deſæcatiorem invenies moralis ſcientiæ doctrinam.

Accedente ſiquidem ad lumen naturale rationis, peccati originalis tenebris nimium quantum obſcuratum, ſupremo Fidei lumine, factum eſt, ut e veterum Ethnicorum documentis plurima dignoſcerentur abſona, & cum hominis fine non convenientia: plurima item ad hominis felicitatem conſequendam neceſſaria. Rurſus, explicatis per firmiorem revelationis ſermonem hominum officiis, moralis illa nuda, ac naturalis Philoſophia non in priſtino ſtetit neceſſitatis, utilitatiſque gradu. Quare, & primorum Eccleſiæ ſæculorum Patres, ubi de moribus, eorumque honeſtate ſermonem inſtituebant, plura e Philoſophiæ moralis hauriebant fontibus, & Scholaſtici etiam de naturali lege, atque honeſtatis principiis differentes complura e divinæ revelationis dogmatibus exceperunt. Quo quidem fiebat, ut Chriſtianorum flagitia, propoſitis vel ex ethica argumentis acerbius exagitarentur: & veterum Philoſophorum errores circa morum principia ad trutinam divinæ vocis revocati certius detegerentur.

Audire liceat Suarezium *l.1. de Leg. c.3.* „ Eſt advertendum, Philoſophos non agnoviſſe ſupernaturalem hominum finem, ſed

 „ ſo-

„ ſolum de hujus vitæ aliquali felicitate, „ vel potius convenienti ſtatu ad illam in „ pace, & juſtitia tranſigendam tractaſſe, „ & in ordine ad hunc finem de legibus „ conſideraſſe, & ita naturalem legem ſo- „ lum ab humana, quam nos civilem „ appellare poſſumus, diſtinxiſſe. At ve- „ ro, cum Fides doceat, homines ad finem „ ſupernaturalem vitæ futuræ per conve- „ nientia media in hac vita exequenda or- „ dinari, recte Sacra Theologia infert, lon- „ ge aliter eſſe neceſſariam hanc legem na- „ turalem „. Quare alteram ab altera pru- dentiſſime non ſejunxerunt.

§. IV.

De Acatholicis, eorumque in Catholicos Scriptores calumniis.

HAnc vero ſapientiſſimam Juris naturalis inveſtigandi rationem modis omnibus coarguere conati ſunt Acatholici. Hinc horrenda ſunt, quæ vomunt contra Scholaſticos Scriptores non alia ſane de cauſa, niſi quia Juri naturali luculentius explicando nonnulla e ſacris Litteris mutuarunt.

Jo: Fr. Buddeus Iſag. *Hiſt. Theol. l.*1. *c.*4. §.32. ait: „ Scholaſtici Doctores itidem lu- „ men rationis, & omnino Philoſophiam „ Ariſtotelicam cum lumine Revelationis „ conjunxerunt, turpiter ita cuncta inter ſe „ miſcentes, & variis erroribus juriſpruden- „ tiam divinam contaminarunt „. Quaſi vero circa lumen revelationis poſſent ex ſolo rationis lumine certa omnia derivari. Similia

Digitized by Google

milia habet Puſendorfius in *Præf. Oper. De J. N. & G.* Et *in ſpecim. Controv. c.*1. §.2. „ Illi doctores, ait, qui in Epiſcopi Roma„ni verba jurarunt, queis omnia ad poten„tiam, & quæſtum Sacerdotum vertere la„bor eſt, (*quanto livore ſcatent dicta hæc* „ *Puſendorfii* !) legi naturali, & univerſæ „ de moribus doctrinæ magnam caliginem „ offudere „. Unde vero tanta caligo? Non niſi, quia legis naturalis principia ad ſolidiſſima Sacrarum litterarum lumina revocant? Et idcirco Catholicos Scriptores verſari *in Regno tenebrarum* affirmat frequenter Puſendorfius Capite 2. *ſpecim. contr.* §.5. Quot injuriis cumulat Scholaſticos primæ notæ Scriptores S. Thomam, Suaretium, Vaſquium, Valentiam, Conimbricenſes? Eorumque doctrinam appellat „ frivolæ ſubti„ litatis ſpeculationibus adornatam, ſcien„ tiæ prorſus inanem, aſtutiſſimo conſilio „ nutritam ad otioſa ingenia vanis diſpu„ tationibus diſtinenda: &c.

Nec diſſimilia ſunt, quæ ceteri ferme J. N. Scriptores heterodoxi de Catholicis Auctoribus impudentiſſime ſcribunt, ut ſine ſtomacho legi non poſſint. Audiatur Chriſtianus Thomaſius *Hiſt. J. N. c.*4. §.17. „ In „ his omnibus commentariis tam ſuper ſen„ tentias Lombardi, quam ſuper ſummam „ Thomæ fruſtra quæres doctrinas utiles, „ & a ſana ratione profectas; ſed omnia „ repleta ſunt auctoritatibus, ſubtilitatibus, „ inanitatibus „ & *c.*5. §.6. „ Itaque initio „ Sæculi XVIII. doctrina de virtutibus, &

„ vitiis, ſive de differentia juſti, & inju-
„ ſti, boni, & mali, de jure naturæ &c.
„ tam apud Pontificios, quam apud Evan-
„ gelicos miſerrimo, & pæne incurabili mor-
„ bo laborabat. (*Proh fatum vere lacryma-*
„ *bile!*) Scholaſtici Pontificii in libris, qui
„ titulis de Juſtitia, & Jure, vel finibus
„ inſigniebantur, talia dogmata inſinuabant
„ Animis diſcentium, quæ ſolum inſervie-
„ bant incremento Papatus, & Clericatus,
„ (*evolvit ne unquam hos libros Thomaſius?*)
„ & ſupprimebant auctoritatem Principum,
„ & ordinum politicorum, & laicorum.
„ Præterea diverſiſſimas res inter ſe miſce-
„ bant, jura naturæ, gentium, moſayca,
„ judaica, græca, romana, imperialia, pon-
„ tificia, colligendo videlicet ex iſtis, quid-
„ quid inde peti poterat ad ſcopum modo
„ memoratum „. At, qui publice circum-
feruntur Catholicorum ſub his titulis libri,
quam enormiter mentiatur Thomaſius, de-
monſtrant. Jo: Fr. Buddeus *Hiſt. N.* §.12.
de noſtrorum Scriptorum & quidem in J. N.
libris ſic habet „ ſubtili, & ſpinoſo dicendi
„ genere, quæ forte propria illorum homi-
„ num laus eſt. Sine ordine tamen cuncta
„ tradunt, infirmo, aut lubrico fundamen-
„ to, quæ docent, ſuperſtruunt. Divina,
„ humanaque jura miſcent. Rationum mo-
„ menta aut plane non, aut jejuna quan-
„ doque, & ridicula afferunt „. Quam per-
frictæ frontis homo ſit oportet Buddeus,
qui in Auctoribus noſtris ſpinoſum dicendi
genus criminatur, cum Puſendorſius, Cum-
ber-

berlandus, Grotius, aliique J. N. egregii Scriptores, ipſorum heterodoxorum judicio, vix queant intelligi? Teſtis ſit Schvvartzius, cujus verba ipſe refert Pufendorfius *Erid. Scand.* §.14. *ar.9.* „ Siquis penitius inſpexe-„ rit Pufendorfii opus, non diffitebitur, „ Pufendorfium non modo entia moralia, „ verum etiam totum ferme primum li-„ brum tam obſcure tractare, ut ipſe vix „ intelligat „. Teſtis ſit Gundlingius in Diſc. Præl., cujus hæc verba „ ſi Grotium, & Pu-„ fendorfium aſpicimus, ii jam civilis, jam „ naturæ Jus, jam gentium proponunt „; (*& hic eſt ille Pufendorfius, cujus clariſſimum, ac diſtinctiſſimum ingenium confuſa ſcribendi ratio noſtrorum Auctorum nimis vexabat.*) „ Proinde mihi Pufendorfii pertæ-„ ſum eſt, quoties ipſum explicavi. Per-„ turbat enim homines, & meipſum initio „ perturbavit „. De Cumberlando non ne ſuadent paſſim ejus Fautores in gallica traductione Barbeyracii legendum ejus librum, quam in nativo latini ſermonis genere? Adeo male mentem ſuam explicat; quin & Barbeyracius identidem cogitur latinum auctoris vocabulum apponere, veritus, ne non illius ſententiam tenuerit.

§. V.

De Acatholicorum in SS. PP. Conviciis.

VErum & ferenda eſſet eorum audacia, modo in Scriptores tantum ſcholaſticos mendacia conflaverint. Sed omnem vin-

cunt patientiam, quæ paſſim contra Sanctos Patres indigna vomunt convicia. Unum, aut alterum commemorabo; quid enim inſanientem turbam in ſcenam inducam? Primum ſibi locum vindicat Joannes Barbeyracius, cujus in Sanctos Patres animi furor in Præfat. ad verſionem gallicam Op. Puſendorf. a §.9. impudentiſſime erupit. Neque enim unum, aut alterum carpit, ſed a primis Eccleſiæ ſæculis ad Scholaſticorum tempora pleroſque SS. PP. ſaltem auctoritate præcipuos notat, & quaſi J. N. ignaros pariter irridet. Athenagoram ſæc. II. carpit; Clementem etiam Alexandrinum eodem ſæculo exeunte, quem idcirco reprehendendum putat, quod *regulas vitæ nimis ſeveras, rigidaſque, & ab hodierna vitæ conſuetudine alienas præſcribit*. In Tertulliani libris etiam ante lapſum ſcriptis quærit, quod accuſet: Illum videlicet nimis rigide cenſuiſſe: *qui improborum facinora promovent, aut qui quacunque ratione ad malum concurrunt, peccare*. Ubi putat auctoritate Du Pinii non eſſe principium hoc extendendum adeo, ut vult Tertullianus: At in utriuſque hujus Patris cenſura Barbeyracius ipſe reprehenditur a Jo: Fr. Buddeo *Iſag. theol. l. poſt. c.* 4. §. 4. Plura, ait Barbeyr; ſe deſiderare in Cypriano, præeunte Jo: Clerico, præſertim modum in laudanda continentia, evehendo martyrio, commendandis eleemoſinis; & quod nimis auctoritatem Epiſcoporum extulerit; in qua quidem accuſatione ſocium habet Jo: Fr. Buddeum *loc. cit.* Lactantio tribuit Barbeyr. ſen-
ten-

tentiam, *hominem probum nec militare debere, nec Commerciorum cauſa peregrinas petere oras*: cum revera Lactantii *lib.* v. *de Juſt. c.*18. verba hæc ſint „ Cur enim, (ho„ mo vere juſtus) naviget, aut quid petat „ ex aliena terra, cui ſufficit ſua? „ quibus verbis indicat, non dari Juſto neceſſitatem ea faciendi; non vero vetitum eſſe Juſto ea facere. At Barbeyrac. ingenio ſuo carpendi SS. PP. libenter indulget, quod quidem ipſi Buddeo non probatur. Quemadmodum ſibi diſplicere oſtendit Buddeus *loc. cit.* quæ contra Athanaſium, & Cyrillum Hieroſolymitanum pronuntiat Barbeyracius. Baſilii cauſam contra ipſum Barbeyracium tuetur ipſe Buddeus, rectamque habet Ceillerii defenſionem. Quid in Gregorio Nazianzeno arguit Barbeyracius? Illud nimirum, quod in ſuo erga hæreticos zelo modum, juſtoſque limites exceſſerit. Sed hic ſuam cauſam agebat Barbeyracius; ideoque modum, ac limites juſtos tolerantiæ hæreticorum ignorabat. Quid vero in Joanne Chryſoſtomo? Illud idem, quod Petrus Bælius V. *Abimelech*, & *Sara*, homo quidem non tam facetus, quam ad ſcribendum procax riſui exponit: quam indocte autem, atque adeo inique, oſtendit Ceillier *in ſua Apolog. c.*12. In Ambroſio diſplicent laudes Cælibatus, ac Virginitatis; hoc etiam diſplicet in Hieronymo: Et quidem, ut ait, ex Jur. Nat. Auguſtini ſententias confert, male etiam explicat, ut occaſionem improbandi habeat, præſertim ubi de Abrahami, & Sa-

& Saræ conſenſu reſpectu Agar agit Aug. *lib.*16. *de Civ. c.*25. At Auguſt. non ea docet, quæ objicit Barbeyrac., ut probat Ceillerius *loc cit. c.* 14. Sed hic, omnium Patrum a Barbeyracio inique congeſtos in doctrina morum errores recenſere, longum eſſet, ac tædio plenum; refellere vero calumnias, & mendacia prope ſuperfluum, cum id præſtiterit Remigius Ceillier *Apolog. de la Morale des Peres &c. an.*1718. Interim tamen ipſe ſibi plaudit Barbeyracius, aitque § 10. ſperare ſe, ſæculum tandem venturum fore, in quo Patres, & eorum ſtudioſi admiratores immodicam, qua fruuntur, exiſtimationem ſint amiſſuri. Et §.11. gaudio exultans ſubdit, *Legislatores Lutherum, & Calvinum non modo Religionem, ſed moralis doctrinæ, J. N. ſcientiam redintegraſſe.* At quanta opus eſt cæcitate, (quamquam non, quo par erat, uſus ſum verbo;) quanta opus eſt inſania, audacia, temeritate, ut quis ſibi perſuadeat, aliiſque velit imponere, Chriſtum, de Eccleſia ſua adeo ſollicitum, non Sanctorum Patrum, (quorum mores incorrupti, intemeratique fuere) voce, & libris; ſed Luthero, & Calvino, hominibus quidem omni vitiorum genere inquinatis præeuntibus, voluiſſe nova, inauditaque præcepta, ac leges promulgare? Sed neque in omnibus Calvinus idem, aliique Lutheri aſſeclæ Barbeyracio arrident: dolet enim, eos crudele dogma de hæreticorum pænis defendiſſe, atque *Tolerantiſmum* in religionis negotio oppugnaſſe.

Chri-

Chriſtianus Thomaſius *in hiſt. J. N. c.3.* contra Eccleſiæ Patres invehitur, aitque, poſt Chriſti Aſcenſionem, & Apoſtolorum mortem extinctam Chriſtianam Eccleſiam jacuiſſe uſque ad Lutherum. §.4. ſubdit „ Mul„ ti Proteſtantium Theologorum, in pri„ mis vero B. Lutherus noſter, & alii de „ hoc abuſu interpretationis, ab Eccleſiæ „ PP. commiſſo, conqueſti ſunt, & adhuc „ conqueruntur „ §.22. laudat Barbeyracium, qui „ clariſſime monſtravit, quod Athena„ goras, Clemens Alexandrinus, Tertul„ lianus, Origenes, Lactantius, Cyprianus, „ Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ambro„ ſius, Chriſoſtomus, Hieronymus; Au„ guſtinus, Leo, Gregorius Magnus (*en* „ *quot Sanctos Patres impudentiſſimus homo* „ *contemnit !*) non ſolum in doctrina mo„ rali parum, aut nihil ſciverint, ſed & in „ explicatione Scripturæ Sacræ, aut alia „ occaſione ita ferente, varia noxia, & er„ ronea, ac non ſolum luci Evangelii, ſed „ & juri naturæ adverſantia dogmata in ani„ mis auditorum, ſuorum diſſeminaverint „. His ſimilia habet Heineccius *in Elem. hiſt. Phil. c.4. a §.99. ad* 102. ubi plures Catholicos Doctores, ait, „ non modo faſtu ſcho„ laſtico, & maleſana curioſitate, ſed & „ abſona dicendi, docendique ratione cor„ datioribus hodie riſum excitare merito. „ Hinc cognomina ridicula, dum Haleſius „ Magiſter *irrefragabilis*, Richardus de me„ dia villa *Auctoratus*, Scotus *ſubtilis*, Bo„ naventura *Seraphicus*, Thomas Aquinas

„ *Che-*

„ *Cherubicus*, alii aliter vocati. *Vid. Tribbech. de Doctr. Schol. c.6. p.*152. & tamen
„ (*en ut eumdem deſpicientiæ locum diutius*
„ *urget*) hi Doctores *Angelici*, *Cherubici*,
„ *Seraphici* non modo univerſam Philoſo-
„ phiam, ac Theologiam (*atqui hic non*
„ *agitur de hiſtoria theologica*, *ſed philoſo-*
„ *phica*: *quid tum*? *Contemnendi ſunt Ca-*
„ *tholici Scriptores*: *nunquam ergo non eſt*
„ *locus*) erroribus quamplurimis coinquina-
„ runt; verum etiam in Philoſophiam mo-
„ ralem invexere ſacerrima iſta principia
„ (*quænam illa*? *Lutheri ne*, *an Mellan-*
„ *ctonis*, *an Calvini*, *jura omnia divina*,
„ *& humana ſuſdeque vertentium*?) Proba-
„ biliſmi, methodi dirigendi intentionem,
„ reſervationis mentalis, peccati philoſo-
„ phici, (*ſunt enim vero hœc ſunt omnia*
„ *uno faſce colligenda*? *Triticum*, *& Zi-*
„ *zania*?) quibus Jeſuitæ etiamnum mirifi-
„ ce delectantur: (*ſcilicet quo Auctore hæc*
„ *de Jeſuitis aſſerit Heineccius*? *Subdit ſta-*
„ *tim*) conferri hic oportet Lud. Montaltii
„ Epiſtolas ad quemdam ex Provincia (*con-*
„ *ferri autem oporteret cum reſponſionibus Ga-*
„ *brielis Danielis ad prædictas litteras*, *con-*
„ *tra Antonium Arnaldum*, *alioſque Janſe-*
„ *nianæ Sectæ aſſertores*). Et quamvis Lu-
„ therus, (*en excucullatum*, *uxoratumque*
„ *Animarum moderatorem*!) ut illis Scholaſ-
„ ticorum ſordibus Eccleſia purgaretur, nihil
„ fecerit reliqui, tantum tamen abeſt &c.„
Quanti facienda ſit Scholaſtica Theologia non ab uno damnato capite, nimirum Luthero,

Digitized by Google

thero, qui etiam Scriptores iſtos inter σκύβαλα ut aſſerit Puſendorfius *in Specim. Controv. c.2. §.6.* numerabat; ſed ab electiſſimo tot doctiſſimorum virorum Concilio, cui Divinum Paſtorem præſuiſſe certo novimus, reputare debemus.

§. VI.
De recto Juris Naturæ uſu.

HÆC itaque cum aperte ſatis noverimus, ne a recto dignoſcendi Juris naturalis tramite deflectamus, omne ſtudium eſt collocandum. Clament idcirco Acatholici, atque in nos cujuſcunque generis convicia jactent, ac maledicta; malumus cum Ambroſio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Bonaventura, & ſi fas eſt etiam dicere, Suarezio inter indoctos accenſeri, quam cum Puſendorfio, Thomaſio, Barbeyraico, Heineccio inter ſummos homines adnumerari. Quinam vero ſit rectus Juris naturalis addiſcendi modus; quinam optimæ hujus moralis ſcientiæ uſus? Modum hunc rectum, rectum etiam uſum, quo diſſertatio tota collimat, explicabo ſine mora; utrumque poſtquam explicavero operis totius ideam, & rationem nemo non probabit. Erit autem rectus Juris naturalis uſus, ſi recti definientur lumini naturali, ſeu rectæ rationi limites: rectus erit addiſcendæ hujus facultatis modus, ſi probati conſulentur Auctores.

Profecto primum quod reſpicit: Inficiari debet nemo, duplex in præſenti humanæ naturæ ſtatu dari lumen, quo homines moraliter

liter agant, & appoſite ad ſuam ipſorum felicitatem agant: naturale alterum, alterum vero ſupernaturale: illud *Ratio naturalis*, hoc *Revelatio* audit; illud naturæ debitum, hoc vero nullatenus debitum, ſed mere gratuitum. Rurſus nemo, niſi plane deſipiat, in controverſiam vocabit, lumen rationis minus eſſe lumen, ac illud revelationis, & conſequenter illud eſſe huic ſubjiciendum. Habemus hoc ex Paulo II. *Cor.* 10. Nec ipſi ſanioris judicii Acatholici negant: Jo. Fr. Buddeus *Iſ. theol. l. prior. c.* 4. §. 31. ſic habet „ In ethicæ, ſeu doctrinæ mora„ lis philoſophicæ utilitate, & neceſſitate „ rite æſtimanda, ita incedendum; ne quid„ quam dignitati, ac præſtantiæ ejus de„ trahamus, nec tamen rationis viribus apud „ eos, qui Chriſtianorum nomine veniunt, „ in vitæ directione plus, quam docet, „ tribuamus. Minus enim lumen præferre „ majori *Fidei*, ſtolidum foret „ Ratio autem eſt: tum quia revelationis lumen immediate a Deo procedens infallibiliter rei veritatem, atque honeſtatem oſtendit: tum quia objecta etiam repræſentat, quæ lumini naturali impervia ſunt, & longe ſuperiora. Hoc utique verum Ethnicis Philoſophis obſcurum fuit, ac Fidei divinæ unice debemus. Præclare Suarezius rem hanc explicavit *l.* 1. *de Leg. c.* 3. „ Circa legem naturalem docet „ Theologia, hominem ſecundum duplicem „ naturam, & duplex rationis lumen con„ ſiderari poſſe. Primo ſecundum puram „ naturam, ſeu ſubſtantiam Animæ ratio-

„ na-

„ nalis, & conſequenter ſecundum rationis
„ lumen illi connaturale : Secundo juxta
„ naturam Gratiæ deſuper homini infuſæ, &
„ ſecundum divinum, ac ſupernaturale lu-
„ men Fidei, per quod pro ſtatu viæ regi-
„ tur, & gubernatur. Et juxta hæc duo
„ principia diſtingui duplicem legem natu-
„ ralem; aliam, ſimpliciter naturalem reſ-
„ pectu hominis; aliam, quæ licet ſuperna-
„ turalis ſit reſpectu hominis (quia totus ordo
„ Gratiæ illi ſupernaturalis eſt); nihilominus
„ naturalis dici poteſt reſpectu Gratiæ, quia
„ etiam Gratia habet ſuam propriam eſſen-
„ tiam, & naturam, cui connaturale eſt lu-
„ men infuſum; cui etiam connaturale eſt,
„ non ſolum dirigere homines ad rectam, &
„ honeſtam, ac debitam operationem ſuper-
„ naturalem, ſed etiam depellere tenebras,
„ & errores circa ipſammet legem pure natu-
„ ralem, & ſub altiori ratione præcipere
„ ipſiuſmet legis naturalis obſervationem.

Atque hic eſt advertendum, lumen revelationis eſſe abſolute neceſſarium quoad ea officia, quæ reſpiciunt objecta non niſi per lumen Fidei cognita; quæ quidem officia hominem obligant ad æternam ſibi comparandam felicitatem; atque hoc ne heterodoxi quidem diffitentur. Idcirco lumen Fidei appellari poſſe *connaturale generi humano*, docet Suarezius *loc. cit.*, eo modo, quo naturale dicitur, quod cum natura concreatum eſt, ſemperque in ea perſeveravit.

„ Quia lex Gratiæ ſemper in humano gene-
„ re fuit, & nunquam in hominibus uni-

„ ver-

„ verſis, ſeu in tota Eccleſia lúmen Fidei
„ defuit, neque homines caruerunt unquam
„ lege divina ſupernaturali, ſine qua non
„ potuiſſent in ſupernaturalem beatitudinem
„ tendere. Unde quando diſtingui ſolent
„ ſtatus hominum per leges, ſcilicet in ſta-
„ tum legis Naturalis, Scriptæ, vel Gratiæ;
„ in primo ſtatu per legem naturalem intel-
„ ligenda eſt tam lex ſolius naturæ, quam
„ lex connaturalis Gratiæ, ſeu lex Fidei.
„ Non potuit enim Mundus unquam carere
„ omnino hac lege ſecundum ordinariam Pro-
„ videntiam, cum factores legis ſemper po-
„ tuerint cum divino auxilio juſtificari, ut
„ ſumitur ex Paulo ad *Rom. c.2. & 3.* Atque
„ ita etiam patet, quæ fuerit neceſſitas, &
„ utilitas legis naturalis in hoc poſteriori
„ ſenſu declaratæ, nimirum, quia Gratia,
„ & Fides ſemper fuit neceſſaria, & hæc
„ lex eſt illi connaturalis. Item, ut habe-
„ ret homo legem, per cujus obſervantiam
„ poſſet conſequi remiſſionem peccatorum,
„ ac vitam æternam cum divino auxilio „.
Illud vero obſcurius eſt, eſſe etiam neceſſarium lumen Fidei ad aliqua legis *officia* naturalis quidem propria, & rectam rationem in ſe, & revera non excedentia; minus tamen cognita ex originariæ culpæ tenebris, quibus & rerum veritas, & objectorum honeſtas, non eo, quo fuerant primum collocata, bono mentis lumine permanſerunt. Atque hoc in cauſa fuit, cur ethnici Philoſophi de hominis ſummo bono tam abſonas, & inter ſe oppoſitas protulerint ſententias: inde

inde etiam factum eſt, ut de ipſius Dei natura dignoſcenda tot inter opiniones quereretur Tullius *de nat. Deor. l.* 1. „ Ita fit, „ ut Deus, quem mente noſcimus, atque „ in animi notione tanquam in veſtigio vo- „ lumus reponere, nuſquam prorſus appa- „ reat „. Inde etiam plurima obſervamus pene Hiſtoricos exempla Nationum, quibus Fidei lux nondum affulſit, iniquiſſimis moribus viventium. Sic Mulieres apud Indos igni ſe tradunt, defuncto Marito: Iroquenſes Parentum ſeneſcentium carnibus aluntur: Ægyptii nuptias cum ſororibus, & cum Matre etiam celebrant: Apud Parthos nemo de regia ſtirpe Arſacidum jus habet legitimum ad thronum, niſi ex inceſtu Filii cum Matre natus ſit: In Guienna Inſula compertum eſt, Maritum lecto accumbere, Uxore pariente, & enixa, eamque puerperam tunc viro ſine cauſa jacenti famulari. Hæc, aliaque hujuſmodi fieri novimus apud Barbaros, Ethnicoſque, quin aliquid advertant naturalem rationem aut dedecens, aut minus ſibi conveniens.

Superius autem dicta officia hominem obligant & qua homo eſt, & qua civis etiam eſt. Quare non erit omnino adprobandum, quod Acatholicorum plerique ſuadent, poſſe ſcilicet integrum tradi Jus naturæ, & Gentium, omnia hominis, & civis officia poſſe rite explicari, nullo habito ad Fidem reſpectu; ut putat Puſend. *De J. N. & G. l.*2. *c.*3. §. 13. „ Ubi illud manifeſtum judica- „ mus: etſi divinæ litteræ liquidius cogno- „ ſcen-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

„ ſcendo juri naturali plurimam lucem adferant; illud tamen etiam citra hoc adminiculum per vires rationis homini abs Creatore conceſſæ, & adhuc ſuperſtitis poſſe inveſtigari, & ſolide demonſtrari „. Hoc enim Jus per vires rationis *adhuc ſuperſtitis* poſſe plene demonſtrari, falſum eſt citra revelationis adminiculum. In eadem eſt cum Puſendorfio ſententia Barbeyracius; in eadem etiam Heineccius *J. N. & G. l.*1. §. 15. 16. „ quumque hoc Jus complectatur leges per rectam rationem promulgatas; conſequitur, ut Jus naturæ derivandum non ſit ex ſacris litteris „. At Jus hoc naturæ non univerſalia tantum penes ipſos AA. principia indicat, ſed plura etiam particularia; ad hæc autem neceſſarium eſt Fidei lumen, ut *depellantur offuſæ mentibus tenebræ, & errores*, quemadmodum ex Suarezio adnotavimus.

Hinc etiam jure merito irridendos puto AA. illos, qui tantopere gloriantur, velle ſe Jus naturæ omnino explicare citra Revelationis lumen. Eſſet ſiquidem illorum inanis conatus, & maxime periculoſus: ut, qui oculorum infirmitatis conſcius vellet de objectis judicare ex oculorum tantummodo teſtimonio citra Rationis adminiculum. Inutilis labor, & errori maxime obnoxius. Plures ex Acatholicis hoc identidem repetunt, hoc ſe feciſſe plenis buccis, ut vidimus, gloriantur. Jo: Fr. Buddeus *Inſtit. Theol. mor. par.*2. §.11. ſic habet „ Nec tamen ideo improbandum illorum inſtitutum, qui ſeor-

„ ſim

„ ſim juxta lumen rationis Juriſprudentiam
„ divinam, ſeu naturalem tradunt. Quæ
„ enim diſtincta ſunt, recte etiam diſtincte
„ traduntur, nec inter ſe ſunt confunden-
„ da. Juvat etiam cognoſcere, quouſque ra-
„ tio ſibi relicta hic progredi queat, ut eo re-
„ ctius, quæ revelationis vis ſit, & præſtan-
„ tia, inde intelligatur. In negotiis præte-
„ rea humanis ſæpe cum illis nobis res eſt,
„ qui revelationem non agnoſcunt, quique
„ proinde non aliam agendorum normam,
„ quam rectam rationem admittunt. Deni-
„ que per rationem quoad humana preſer-
„ tim negotia, multa ſpecialius poſſunt in-
„ veſtigari, ac determinari, cum generalia
„ ſaltem ſint, quæ de hiſce revelatio tra-
„ dit, ut reliqua, quibus idem evinci po-
„ teſt, taceam. „ Hæc autem Buddei ratio-
cinatio minus, quod intendit, concludit: Siquidem etſi diſtincta ſint lumen Rationis, & Fidei, nec idcirco confundenda: illud tamen utpote infirmum ab hoc debet adjuvari; unde ſeorſim tradi non debet. Deinde, verum quidem eſt, aliquid eſſe, cognoſcere, quo rationis lumen ex Originali labe obnubilatum pertingat; ſed & hujuſmcdi cognitionem ſine fructu eſſe, & ad negotia periculoſam, eſt certum. Quid autem factu opus ſit, quando cum iis, qui revelationem non agnoſcunt, ſit agendum, dicam inferius: nullo tamen pacto probandum eſt illorum inſtitutum, qui ſolo freti Rationis lumine naturali cum hujuſmodi hominibus velint res agere, & ad honeſta eos pertrahere. Tandem,

dem, quod revelatio generalia oſtendat, Ratio quædam ſpecialiora, infert: utrumque lumen in conſilium advocari, nec tradi debere ſeorſim. Rem hanc egregie in veteribus Philoſophis advertit Lactantius. *l*.v. *de Juſt. c.*18. ubi videtur Acatholicorum objecta diluere: „ Plato, & Ariſtoteles honeſta quidem vo- „ luntate Juſtitiam defendere cupierunt, ef- „ feciſſentque aliquid, ſi conatus eorum bo- „ nos, ſi eloquentiam, ſi virtutem ingenii, „ divinarum quoque rerum doctrina juviſ- „ ſet. Itaque opus illorum inane, atque „ inutile jacuit, nec cuiquam hominum „ perſuadere potuerunt, ut eorum præſcrip- „ to viveret: quia fundamentum a cælo „ diſciplina illa non habuit. Noſtrum opus „ certius ſit, neceſſe eſt, quos Deus do- „ cuit „. Ad Lactantii mentem ſcribebat Leibnitzius in *Epiſt. ad Molan. Ab.* adverſus Pufendorfium „ digne de Jure philoſophanti „ non tantum humanæ tranquillitatis, ſed „ divinæ amicitiæ ratio habeatur, cujus poſ- „ ſeſſio nobis duraturam felicitatem ſpondet. „ Non nobis tantum nati ſumus; ſed par- „ tem noſtri ſibi alii vindicant, Deus to- „ tum „. Et *Præfat. Cod. Jur. Gent.* „ Recte „ a viris doctis (ait) inter deſiderata relatum „ eſt: Jus naturæ, & Gentium traditum ſe- „ cundum diſciplinam Chriſtianorum, ideſt „ Chriſti documentis τὰ ἀνώτερα ſublimia, di- „ vina ſapientum „.

Itaque Revelationis lumen regulas Juris naturæ, bonæque moralitatis exhibet, quas generis humani corrupti mores, & Philoſopho-

pho-

phorum ethnicorum cæcutientes Animi nec ſatis agnoverunt, nec libenter amplexi ſunt. Qua propter colligi debet, adjuvari ex Revelatione Rationem ad Jura ſua dignoſcenda; Revelationis enim lumen ex omni parte divinum, quod ad mores, vitæque rationem ſpectat, nihil oſtendit, quod ſimul ſuum non eſſe putet lumen naturale, ubi intento ſtudio advertit, ac mature conſiderat. Idcirco a nonnullis ſapientibus viris dictum legimus: dogmata Evangelii quoad mores, ſimul cum bonæ moralis Philoſophiæ principiis, eſſe veluti inſtaurationes moralium dogmatum in anima rationali impreſſorum; huc aptando illud Tertulliani: *Oh Anima hominis quam es naturaliter Chriſtiana*! Reddit præterea Fidei lumen faciliorem Præceptorum naturalium uſum ex nova præmiorum, pænarumque propoſitione, atque ex gratuita *divinorum auxiliorum* largitione. Habet autem in ſe Anima intimam ad ſervanda præſertim generalia quædam præcepta obligationem ſine revelatione, ut habet Apoſtolus, & dari ignorantiam circa prima Moralitatis, & legis naturalis principia in mente integra, probari nullatenus poteſt: cum Ideæ primorum principiorum, ut valde probabiliter a nobis in Philoſophia rationali probatum eſt, ſint innatæ, nec a ſenſibus hauſtæ.

Quare Chriſtiano Philoſopho ita erit in Jure naturali, rectæque rationis principiis procedendum. Quæ lumen naturale, ſeu recta ratio, citra quodlibet præjudicium, ſui juris eſſe repræſentat, erunt mature cum iis, quæ ex Fidei

lumine accepimus, conferenda: Cumque ſciamus, utrumque lumen veluti in idem tendere, ſeu objectorum veritatem, honeſtatemque manifeſtare, prudenter inferimus, quæ infallibili Revelationis teſtimonio comprobantur, vera eſſe; falſa tamen, ſi Fidei teſtimonio contraria. Neque vero id aſſero, videlicet adſumendum Fidei dogma, quaſi principium, unde altera rejici, altera probari debeat opinio: hoc enim eſſet non Philoſophum agere, ſed actum Fidei exercere. Illud autem pronuntio, Fidei dogma eſſe illi debere inſtar doctiſſimi, ſolertiſſimique Monitoris, quo certus fiat de admiſſo in peculiari aliquo caſu errore; unde iterum, atque accuratius ratiocinationem inſtauret, donec lumine ipſo naturali, ubi lapſus ſit, invenire liceat: Quemadmodum in Analyſi fit, ſi forte vel ex prima poſitione, vel ex errore in decurſu operis admiſſo devenietur ad æquationem vel impoſſibilem, vel certo falſam, tota, ut notant Analyſtæ, repeti, ac veluti reſolvi debet praxis, ſingulique animadvertendi numeri, eorumque ſigna, ut erroris veluti principium detegatur. Hoc ubi aget in re morali, atque in N. J. principiis, & Officiis optimus morum Philoſophus; modum aptiſſimum, rationemque firmiſſimam ſibi conciliabit ad ſuadendum Ethnicis quibuſcunque, revelationes pernegantibus, certiſſima morum dogmata.

§. VII.

§. VII.

De recta addiſcendi J. N. ratione.

JUſtos poſuimus lumini naturali fines: ſupereſt, ut addiſcendæ hujus facultatis rectus modus proponatur. Is profecto, erit, ſi probatæ fidei conſulantur Auctores. Sane vix animum poſſum continere, cum in Catholicorum manibus magno plauſu exceptos verſari conſpicio tot heterodoxorum libros, qui revera ſi eſſent a Catholicorum aliquo conſcripti vix oculos ad ſe Eruditorum pertraherent. Confuſa ſcribendi methodus, barbara latini ſermonis ſyntaxis, exigua, eaque obſoleta bonæ doctrinæ copia, quid, queſo, tantos excitet græculorum plaudentium rumores! Dicam plane quod ſentio, & mecum una reputant, quicumque ſolida veræ Sapientiæ, omniſque ſcientiæ jecere fundamenta, & inſipientium voces ſpernunt: Unus eſt iis Auctoribus plerumque tantarum laudum titulus, nimirum diverſa a noſtra Religio. Jlle videlicet, qui unus ſatis eſſe deterret, ut iſtiuſmodi libri a Studioſorum præſertim manibus arcerentur. At liber de Jure naturæ agit, non de Religione. Quid tum? Grotius de Jure Belli ſcripſit; & tamen Puſendorfius Lutheranus religionis cauſa verebatur, ne apud ſuos Grotius legeretur: Sic in *Epiſt. ad lect. ante* 1. *ſui op. edit.* „ Non exiguam nobiliſſimo operi (Grotii) labem „ aſpergunt, queis paſſim a receptæ orthodoxæ Eccleſiæ (ſcilicet Lutheranæ) ſententiis „ diverſus abit. Et per iſthæc etiam vere,

 „ atque

„ atque utiliter dictis auctoritas detrahitur „.
At errores vel nulli ſunt, vel cuique Catholicorum facile advertendi: Immo potius & plures ſunt, & cuivis Catholicorum difficillime advertendi; niſi forte Sacrarum facultatum præſidio, quo tandem colliment, dignoſcant. Quotus autem quiſque ex iis, qui Acatholicorum verſant libros, ſacræ Theologiæ, diviniſque litteris operam navavit? Exemplo ſit, qui ancipiti plane conſilio Puſend. opus *de J. N. & G.* in italum ſermonem verſum repurgavit, auxit, illuſtravit, & an. 1757. typis venetis edidit. Hic ſane *tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 4. §. 3. repurgare debuerat illam Puſend. propoſitionem „ Ignorantia
„ Juris naturalis neminem adultæ ætatis ex-
„ cuſat „ cum videatur, illa poſſe locum habere inter damnatas ab Alexandro VIII. quarum quæ *n.* 2. ait „ Tametſi detur igno-
„ rantia invincibilis Juris naturæ, hæc in
„ ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non
„ excuſat a peccato formali „ Rurſus *tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 2. §. 9. Auctor Catholicus debuerat paulo cautius loqui circa obligationem ortam ex Jurejurando per metum injuſtum extorto. Profecto *D.Th.* 22.*q.* 89.*ar.* 7.*ad.* 3. ait. „ In Ju-
„ ramento, quod quis coactus facit, duplex
„ eſt obligatio: Una quidem, qua *obligatur*
„ *homini*, cui aliquid promittit; & talis obli-
„ gatio tollitur per coactionem, quia ille, qui
„ vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſ-
„ ſum non ſervetur: Alia autem eſt obliga-
„ tio, qua quis Deo obligatur, ut impleat,
„ quod *per nomen eius* promiſit: & talis
„ obli-

Digitized by Google

„ obligatio non tollitur in foro conſcientiæ :
„ quia magis debet damnum temporale ſuſ-
„ tinere , quam juramentum violare : Po-
„ teſt tamen repetere in judicio quod ſol-
„ vit . „ Et adeo ſundatam in J. N. obliga-
tionem iſtam putavit S. Th. , ut deinde ſub-
diderit . „ Romani Pontifices ab hujuſmodi
„ juramentis homines abſolverunt , non quaſi
„ decernentes , hujuſmodi juramenta non
„ eſſe obligatoria , ſed quaſi obligationem
„ ex juſta cauſſa relaxantes „ . Auctor vero
Puſendorfium corrigens & hanc admiſit Pu-
ſendorf. ſententiam „ non minus obligatus
„ eſt ad reſtituendum vi extortum promiſ-
„ ſum , cui juramentum acceſſit , quam ſi
„ ab injurato id foret profectum „ . Et hanc
aliam infra „ momentanea ſolutione jura-
„ tum defungi poſſe , ut ſtatim vel per ſe ,
„ vel in ſubſidium vocato Magiſtratu da-
„ tum recuperare queat : eſt *ſane inanis re-
„ ligioſitas* , cum perinde ſit non ſolvere ,
„ & ſolutum confeſtim recuperare „ . At
oppoſitum definitur Cap. *Si vero* , & Cap.
Verum de Jur. jur. Plura fortaſſe eſſent in
eo libro adnotanda : ſed hæc duo , quæ ſe
mihi , tomum 2. forte verſanti , primo obtu-
lerunt , probant , quam difficile ſit ſine Theo-
logiæ ſtudio Hæreticorum errores advertere ,
& corrigere . At mira ſunt , quæ dicunt Hæ-
retici , nova ſunt etiam , quæ dicunt ; ad-
de , ſi recte velis colligere , & falſa ſunt ,
quæ dicunt . Verum quæ mira , quæ vera
ab his AA. traduntur , ea non niſi a noſtris

AA. Catholicis mutuaſſe, conſtat, & in curſu operis conſtabit. Quæ de ſuo addidere, falſa ut plurimun convincuntur.

§. VIII.

Operis totius Idea, & Series.

HÆc igitur cum ita ſint, auctor ſum, ut Jus Naturæ, & Gentium non niſi apud AA. Catholicos addiſcatur. Neque enim putandum eſt, non inveniri apud eos hujuſmodi facultatem: ſiquidem, quæ Puſendorfius, puta, magna primi voluminis parte de J. N., & G. agit circa moralitatem actus, habes apud Catholicos ſcriptores in 1. 2. *de actibus humanis*; cetera Juris naturæ, & Gentium principia habes in tr. *De legibus* apud Suarezium, Leſſium, Molinam, Valentiam, Salas; & plene omnia hæc apud D. Thomam. Quare fateri cogeris, ubi eos conſulueris, quod neſcio quis novum parandi prandii genus ſcire cupidus, ubi non novas res, ſed nova tantum nomina impoſita a gallis audivit, ingenue faſſus eſt; Se tot annos ad gallicum morem inſcienter comediſſe. Equidem eo animo laborem hunc ſuſcepi, & unum præ oculis proponens mihi Suarez oſtendere conatus ſum, quam Puſendorfius iniit rationem in ſuo De J. N. & G. opere, hanc penes Suarezium inveniri; quin & clarius, & ſolidius apud hunc eſſe omnia, quam apud illum.

Scio, alios Suarezii loco potuiſſe & laudabi-

Digitized by Google

dabiliter proponi, vel plures ſimul cum Suarezio ad Hæreticorum calumnias retundendas. Verum, ne liber in Puſendorfianam molem excreſceret, unum aliquem magnæ notæ Virum eligere in animum induxi. Ut autem in Suarezio conſiſterem, plura fecere: Illud ſub initium me excitavit, quod P. Joannes Baptiſta Favre S. J. *In diſſert. Polem. Rom.* an. 1753. *p.* 3. §. 4. ait: „ Si-
„ quis inſtitutiones J. N. ac G. doctiſſi-
„ mas, eaſque perſpicuas vulgare velit,
„ quod juventuti Catholicæ opportuniſſi-
„ mum fore, nemo negaverit, ſatis erit
„ hoc unum, ut, quæ de hoc argumento
„ ſcripſit eximius Doctor Franciſcus Suarez
„ tum in diſputat. ad 1. 2. S. Thomæ,
„ tum in tr. De Legibus, aliiſque in lo-
„ cis, cum ipſiſſimis ejus verbis ſub certa
„ titulorum ſerie digereret, atque etiam
„ illuſtraret„. Acceſſere deinde alterius viri minus etiam ſuſpecti de Suarezio in hanc rem laudes, P. Danielis Concinæ nimirum, ubi in diſſert. Proleg. de J. N. & G. *c.* 7. hæc ſcribit: „ Ingens de Legibus volumen
„ eximii Doctoris Franciſci Suarez præva-
„ let omnibus operibus, quæ hoc de argu-
„ mento vulgarunt Puſendorfius, Buddeus,
„ Thomaſius, Volfius, ceterique omnes ex
„ Proteſtantibus„. Quid, quod & magno apud ipſos Hæreticos in prætio Suarezius noſter habetur ex Juris totius ſcientia? Sane Jo: Franc. Buddeus *Iſag. hiſt. theol. lib. poſt. c.* 4. §. 10. ait: Non minus notus apud Phi-
„ loſophos pariter, ac Theologos eſt Fran-

„ ciſcus Suarezius : opus ejus de Legibus „ conſtat l.10. Varia in eo attulit in me„ dium , quæ deinceps ab iis , qui *Juris* „ *naturalis* tractationem ex inſtituto ſuſce„ perunt , adcuratius fuere diſcuſſa „ . Licet, quantum horum AA. legere licuit, legi autem plurimum , nullibi Suarezii nomen expreſſe, vel commendatum, vel ejus de J. N. ſententias impugnatas adverti : Scripſit autem notas in Suarezii Metaph. Jacobus Revius Acatholicus, qui de Suarezio hæc habet ſub init. „ Cum omnibus, „ quos præſens ætas tulit , de palma con„ tendit Franciſcus Suarezius Societ. Jeſu „ Theologus, commentariis in Thomam, „ & theologicis opuſculis celebre nomen adeptus „ . Tandem, quoniam Chriſtianus Thomaſius in *Tract. Jur. de Jure Aſyli &c*, appellare audet „ ſceleſtam Jeſuitarum doc„ trinam in diſciplina Juris naturalis „ placuit unum objicere Suarezium, quem inter Jeſuitas habere primas , & apud ipſos Proteſtantes magni eſſe nominis, conſtat.

Interim præcipuos J. N. Scriptores Acatholicos conſulere non ſum gravatus , eoſque in notis vel confutare, ubi a recta Catholicorum doctrina diſceſſerint ; vel demonſtrare facto ipſo , non primos ea , quæ Suarezius noſter docuit longe ante illos , docuiſſe . Scribendi rationem ſecutus ſum non Mathematicam prorſus , qualem Volfius ſequi gloriatur; ſed Mathematici vigoris maxime ſollicitus , ut ſcilicet ab univerſalioribus , & magis certis, ad particu-

laria,

laria , & minus certa progrederer , illam Volſianam utpote magis tegendis erroribus idoneam libenter omiſi. Sic prima iſta parte *Principiorum* omnia procedent: De Actus humani moralitate, ubi de advertentia, & libertate: De Actus humani honeſtate: De Lege in genere: De Lege naturali: De Legis naturalis Principio cognoſcitivo: De Jure Gentium, ejuſque proprietatibus, & a Jure Naturæ, & Civili diſcrimine. Apponam primo loco iiſdem ferme Suarezii verbis, & Propoſitionem, & Rationem: Nolo ex induſtria appellare *Demonſtrationem*, „ Conſueto ſcilicet (ut ait Favre loc. cit. „ in fin.) ætatis noſtræ malo fato, ut putidæ falſitates, ad faciliorem legentium „ deceptionem, ſub evidentium *Demonſtra-* „ *tionum* mentito nomine deliteſcant „. Juvat citius, veritatis illius robur verbis ipſius Auctoris exhibere, quam emendicato titulo Doctiorum cenſuras ſubire. Potuiſſem utique ex Suarezio quoddam J. N. veluti Compendium adornare, nec verba ipſius in medium proferre: Sed mihi placuit Erudit. Lipſ. ingenuum teſtimonium, quod proferunt ad an.1742. pag. m.87. de opere Voltaire inſcripto; *Comparatio Leibnitzianæ, & Nevvtonianæ Metaphyſices &c.* ubi ajunt: „ Cupiditate flagramus videndi teſtimonia, „ ac ipſa verba Nevvtoni, viri ſane ma- „ gni, quibus hoc Compendium, Metaphi- „ ſicam, ejuſque propoſitiones reddi poſ- „ ſunt Nevvtono. Ea enim antequam pro- „ ferantur, Metaphyſicam hic nobis ſuppe-

 „ dita-

„ ditatam non tam Nevvtoni, quam ipſius „ Voltairii exiſtimabimus conſtanter „. Ne ſimile quid mihi etiam objiciatur, Suarezii ipſiſſima verba in hac brevi J. N. & G. tractatione exſcribenda putavi: qua in re illud quoque reſpexi, ut ſcilicet diſcant aliqui e Semidoctorum grege, qui multiplicia, ac doctiſſima Suarezii volumina nunquam attigerunt, tantum Virum hanc quoque meſſem intactam, ut ajunt, non reliquiſſe; quin ex profeſſo de J. N. & G. principiis, & egregie, diſputaſſe. Poſteriore autem *De Officiis* parte ſententias etiam Suarezii & ſequar, & proponam, breviori autem ratione, ne diutius Lectores morer. Sed jam tractationem ipſam adeamus.

DE

DE JURIS NATURÆ, ET GENTIUM PRINCIPIIS

PARS PRIOR

CAPUT PRIMUM

De Actuum Moralitate

THESIS.

„ Eſſe morale in actu volun-
„ tatis præter entitatem, &
„ ſubſtantiam ejus nihil addit, niſi
„ modum cujuſdam emanationis,
„ ſeu cujuſdam dependentiæ a ra-
„ tione advertente, & a volun-
„ tate libere operante. „ *Suar.* 1.
2. *Tr.*2. *Diſp.* 1. *Sect.*2.

„ *Poſito illo modo operandi in*
„ *actu voluntatis, impoſſibile eſt,*
„ *quin actus ſit moralis; & non*
„ *poſito illo modo, impoſſibile eſt,*
„ *eſſe moralem. Ergo per illum*
„ *conſtituitur in eſſe morali. Rur-*
„ *ſus, poſito in voluntate illo*
„ *modo emanationis, conſequun-*
„ *tur proprietates morales actus*

„ *moralis, ut ſic (ſcilicet præ-*
„ *ſcindendo a bonitate, vel ma-*
„ *litia ejus); & augentur, vel*
„ *minuuntur in ordine ad illum*
„ *modum: quia ceteris paribus eo*
„ *actus eſt laudabilior, vel vitu-*
„ *perabilior, quo fit cum majore*
„ *libertate, vel advertentia. Et*
„ *hinc eſt illud axioma: pecca-*
„ *tum in tantum eſt peccatum,*
„ *in quantum eſt voluntarium,*
„ *quod intelligendum eſt de vo-*
„ *luntario, & libero rationali.*
„ *Ergo ſignum eſt, actum mora-*
„ *lem formaliter conſummari per*
„ *illum modum operandi: Nam*
„ *rei proprietates manifeſtant eſ-*
„ *ſentiam* „ Ib. n. 15.

§. I.

De prima Moralitatis origine.

EXordimur tractationem iſtam de Principiis J. N. & G. ab actuum humanorum moralitate. Sane nihil eſt in morum Philoſophia magis utile, ac neceſſarium, quam intimam noſſe actuum noſtrorum naturam; unde nimirum fit, ut in aliquibus homo

homo laudem mereatur, & præmium; contra vero in aliis vituperationem, & pœnam. E Scriptoribus nonnulli toti ſunt in definiendis cujuſcunque moralis Virtutis limitibus, quin prius rationem ipſam honeſtatis in virtutibus ipſis expenderint. Profecto Puſendorfius, qui opus magnum de J. N. & G. ſcripſit, multum operis, ac laboris in actuum humanorum Moralitate impendit, rei ipſius utilitate motus, ut ipſe ſub initium operis fatetur §. 1. „ Cum eorumdem (actuum) „ naturam maxime deceret intelligere hominem, cui talium producendorum data „ facultas, & per cujus vitam iſtorum vis „ ſeſe penitus diffundit „. Illud tamen omnino falſum eſt, quod ait Joannes Nicolaus Hertius in ſua ad Puſend. opus Præfat. „ Primus ſane Puſendorfius, ni fallor, fuit, „ qui vidit rerum moralium quoque eſſe „ Philoſophiam, quam vocant, primam „ & clarius Gottfridus Maſcovius in Præf. ad novam Puf. edit. an. 1744. „ Penitus nova „ fere ſunt, quæ a Puſendorfio toto libro „ primo dicuntur „. Ac deinde. „ Primo „ omnium exponit naturam entium, ſive „ modorum naturæ humanæ moralium, qui „ motibus phyſicis ab Ente intelligente, „ qualis eſt Homo, ſuperadduntur ad tem„ perandam libertatem actuum voluntario„ rum „. Falſum, inquam, hoc eſt, nec niſi per vanam, futilemque jactantiam dici poteſt, ea de re primum ſcripſiſſe Puſendorfium; & per manifeſtam calumniam dici a Puſendorfio ſub initium *c*.1. „ neceſſi-

„ ta-

„ tatem ſibi impoſitam, a pleriſque neglec„ tam doctrinam præmittendi „. Ut enim Scriptores omnes Catholicos in 2. 2. D.Thomæ, qui plurimi certe ſunt, præteream: (omnes enim de Prima Moralitatis, vel Honeſtatis ratione agunt:) Suarezius quadraginta, & eo amplius annis ante Puſendorfii opus, *de humanorum actuum bonitate, & malitia* manibus omnium terebatur. Sed Hertius, Maſcovius, Puſendorfius a Suarezio Doctore abhorrebant.

§. II.

Suarezii ſententia explicatur.

Docet Suarezius, intimam *Moralitatis* naturam ab duplici principio procedere, ſcilicet ab *Intellectu advertente*, & *Voluntate libere operante*. Quid ſit, Voluntatem *libere* operari, remota quavis neceſſitate, & coactione, explicabitur propoſitione ſequenti: quemadmodum clarius exponetur, quid ſit Intellectum *advertere*, ad excludendum ignorantiam. Interim vero noſſe oportet, actum debere procedere, ut ipſe Suarezius ait ſect. 1. *n.6.* „ ex perfecta de„ liberatione *Rationis*, non ſolum quate„ nus poteſt unum objectum cum alio con„ ferre in ratione *delectabilis*, vel alio mo„ do convenientis naturæ (etiam ex tem„ poralibus rationibus convenientiæ, vel diſ„ convenientiæ, ut notat *n. 9.*); ſed etiam „ ſub ratione honeſti, vel inhoneſti „. Rurſus, actum eſſe debere *voluntarium*. Si enim actus

actus eſſe debet liber, neceſſe eſt conſequenter, ut ſit voluntarius ut ait *Suar. ib. diſp.* 1. *ſect.* 3. *n.* 9. „ quia intelligi non poteſt, „ quod Potentia ex ſe indifferens ad oppo- „ ſita ad alteram partem determinetur, niſi „ quia vult. Ergo neceſſe eſt, ut illa deter- „ minatio libera ſit voluntaria per ſe ipſam „.

§. III.

Heineccii ſententia.

NOn diſſimilia a Suarezio docet Heineccius in Elem. J. N. & G. quoad *moralitatis fontes ipſos*. Ait enim §. 30. „ Actio- „ nes humanæ, vel morales, ac liberæ a vo- „ luntate noſtra diriguntur: cumque nihil „ decernat Voluntas, niſi ab Intellectu ad „ appetendum, averſandumque excitata; „ merito inde colligimus, Intellectum quo- „ que ad edendas actiones humanas, libe- „ raſque concurrere: ac proinde duo eſſe „ actionum humanarum, ac liberarum Prin- „ cipia, Intellectum, ac Voluntatem „. Quanto autem plura, & nobiliora addi- dit Suarezius, quæ patent conſideranti!

§. IV.

Puſendorfii ſententia proponitur, & impugnatur.

HAud ita vero Puſendorfius, qui primum *Entia moralia* inſtar modorum concepit, aitque ſubinde, *cap.* 1. §. 3. „ mo- „ dos

„ dos iſtos rebus, aut motibus phyſicis ſu-
„ peradditos ab Entibus Intelligentibus ad
„ dirigendam potiſſimum, & temperandam
„ libertatem actuum hominis voluntario-
„ rum, & ad ordinem aliquem, ac deco-
„ rem vitæ humanæ conciliandum „. Entium vero moralium „ primum Auctorem
„ (ait) merito Deum optimum maximum
„ dixeris, qui utique noluit, ut Morta-
„ les hanc vitam ſine cultu, ſine mo-
„ re ad brutorum inſtar tranſirent: Plera-
„ que tamen entia moralia arbitrio ipſorum
„ hominum poſt ſuperaddita, prout vitæ
„ humanæ excolendæ, & velut in ordinem
„ dirigendæ, talia introduci proficuum vi-
„ debatur „. Modos autem hos impoſitos, ait, motibus phyſicis, nulla in ipſis facta intrinſeca immutatione, & ſubdit §. 4. „ efficacia entium moralium a Deo inſtitutorum inde fluit, quod penes ipſum, tanquam
„ Creatorem, fuerit, libertatem Voluntatis,
„ quam homini concedere placuerat, certis
„ limitibus circumſcribere, & reluctantem
„ intentato aliquo malo, verſus eam, quam
„ ipſe vult, partem flectere. Sed & homines
„ ab ſeſe inventis vim potuerunt addere, per
„ ſuas vires repræſentato aliquo malo ei,
„ qui ſeſe iſtis conformare detrectaverit „. Jam quemadmodum fuerunt pro libito impoſiti modi iſti, ſive a Deo, ſive ab hominibus, ita ait ib. „ iterum eorumdem lubi-
„ tu poſſunt deleri, nulla mutatione phy-
„ ſica in re, cui erant ſuperadditi, prove-
„ niente „ quod repetit §. 23.

Verum

Verum, quoniam concipi minime poterat hujuſmodi moralitas in actibus, quæ quidem ita ſe haberet ad actum, ut poſſet ab illo abeſſe citra illius phyſicam immutationem, explicat mentem ſuam in ſpecim. Controv. *c.* 5. *a* §. 2. ubi ait „ motum phy-„ ſicum ſine reſpectu ad legem eſſe indiffe-„ rentem in genere morum: quamlibet actio-„ nem humanam citra reſpectum ad legem „ eſſe in genere morum indifferentem „. Et idcirco. „ Ut plena actio moralis fiat, „ huic motui phyſico ſupervenit, & acce-„ dit qualitas quædam, ſeu affectio mora-„ lis, juxta quam actio illa bona, & mala „ in genere morum dicitur; quæ affectio „ reſultat ex congruentia, aut diſconve-„ nientia ejus actionis cum norma morali, „ ſeu lege „. Eſt itaque Puſendorfio modus hic, & ratio tota moralitatis Reſpectus iſte ad legem.

§. V.

Rationes contra Puſendorfii ſententiam.

ET 1. Reſpectus hujuſmodi ad legem de ſe non ſufficit ad actus moralitatem conſtituendam. Siquidem ſi detur actus aliquis phyſicus ſub reſpectu ad legem poſitus a Voluntate, quæ tamen non ſit plene libera eo genere libertatis, de quo dicemus infra, in tali caſu actus ille non erit moralis: ex eo enim Voluntas non denominaretur nec bona, nec mala; nec laude digna, nec vituperatione; prout deberet ex actu morali

rali

rali juxta ipſiuſmet Pufend. principia *l.* 1? *cap.* 5. & in ſpecim. Controv. *loc. cit.* „ Primarium axioma in moralibus eſt ha„ bendum, quod de illis actionibus ratio„ nem poſci queat homo, quæ ut fiant, „ vel non fiant penes ipſum eſt.

2. Datur aliquando moralitas actus, quin detur hujuſmodi reſpectus ad legem; unde clare deducitur, hujus reſpectum non eſſe neceſſarium, & in eo non conſiſtere rationem moralitatis. Sic in Deo dantur actus morales, quemadmodum datur libertas, & honeſtas; quin tamen detur, nec dari poſſit reſpectus ad legem. Rurſus ſi homo nullum haberet Superiorem (facta hyp. vel poſſibili, vel impoſſibili); aut ſi a Superiore non gubernaretur per legem: nihilominus operando ſub advertentia, puta quod homicidium ſit diſconveniens naturæ, operaretur vel bene, vel male: & tamen ſine reſpectu ad legem. Quid? quod in præſenti, poſita lege, non ideo actus eſt moralis, quia regulatur per legem, ſed potius e contrario; quia homo eſt moraliter agens, & non habet voluntatem indefectibilem a bono; ideo indiget Superioris lege inclinante in bonum, & avertente a malo. Ergo *eſſe regulabile per legem* conſequitur ad *eſſe morale* potius, quam iſtud conſtituat. Et idcirco actus neceſſarius, & naturalis nequit lege aliqua dirigi. Accedit tandem, quod in hypotheſi Pufendorfii moralitas æque actibus externis deberet tribui, ac internis, cum utriuſque detur lex; quin imo aliquando

do actus interni a lege reſpiciuntur non niſi propter actus externos, ut in lege non ſurandi, & dandi eleemoſynam. Hoc autem nemo Philoſophorum moralium admittet; cum hominum mores, ut ſic, per ſe primo a voluntate pendeant. Atque hæ quidem potiſſimæ ſunt rationes, cur Puſendorfii ſententiam rejiciamus.

§. VI.

Reſponſiones ad objecta Puſendorfii.

SCio, quid Puſendorfius pro ſe reponat in *Specim. Controv. c.*5. §.13. „ Nullam hic „ eſſe conſequentiam a Deo ad hominem „. Et ante in §. 2. dixerat „ ſacræ litteræ vo„ cant peccatum ἀνομίαν „ Poterat etiam addere plura SS. PP. teſtimonia id ipſum aſſerentia, ut illud Aug. *l.* 22. contra Fauſt. *c.*27. ubi peccatum eſſe ait „ Dictum, fa„ ctum, concupitum contra legem Dei „ „ Rurſus *loc. cit.* §. 3. & §. 18. „ Impli„ cat Contradictionem, (ait Puſend.) ali„ quid abſque reſpectu ad legem bonum, „ aut malum eſſe in genere morum; vel „ etiam ut tale cognoſci „. Scio, inquam, hæc, & ſimilia, quæ tamen rite perpendenti omnia nullius ſunt roboris. Siquidem, quod primum ſpectat, licet ubi de perfectionibus ſit ſermo, nulla ſit conſequentia a Deo ad hominem, ex eo videlicet, quod illæ diverſimode in Deo ſint, ac in homine; adhuc tamen, ubi de rei alicujus natura, & intima ratione quæratur, ſi res in Deo

Deo non minus, ac in homine reperitur; in utroque cum eadem natura, & intima ratione detur, neceſſe eſt: de modo tamen exiſtendi, infinitum certe eſt diſcrimen. Quod Sacræ litteræ, & SS. PP. peccatum vocent ἀνομίαν nihil eſt, quod morer; neque enim in præſenti dari poteſt peccatum, quin contra legem vel poſitivam, vel naturalem ſit. Illud tantum contendimus, an tota ratio moralitatis in actu ipſo peccati ſit ex reſpectu illo ad legem? Hoc utique non Sacræ litteræ, non SS. PP. aſſerunt. Ridiculum tandem eſt, quod repetit Puſend. de *contradictione*, quam quidem non ſine vitioſo quodam circulo Puſendorfius poſſet comprobare.

CAPUT SECUNDUM.

De Libertate, & aliis proximis Conſtitutivis Moralitatis.

THESIS I.

„ IN humanis actionibus reperi-
„ tur libertas non tantum coac-
„ tioni, ſed etiam neceſſitati oppo-
„ ſita; de cujus ratione eſt, ut in
„ cludat indifferentiam, ſeu poteſta-
„ tem agendi, & non agendi, ſeu
„ agendi hoc, aut contrarium „.
Suar. l. 2. *tr.* 2. *diſp.* 1. *Sect.* 2.

„ *Hæc*

„ *Hæc eſt veritas Fidei, quæ*
„ *ex variis locis Sacræ Scriptu-*
„ *ræ aperte colligitur. Clariora*
„ *ſunt illa, in quibus tribuitur*
„ *homini optio, ſeu electio, ut*
„ *Deuter.* 30. Teſtes invoco Cœ-
„ lum, & Terram, quod propo-
„ ſuerim Vobis vitam, & mor-
„ tem, maledictionem, & bene-
„ dictionem; elige ergo &c. *Simi-*
„ *lia habentur Joſue* 24. Optio
„ vobis datur, eligite quod pla-
„ cet. *Eccl.* 24. Appoſui tibi
„ ignem, & aquam, ad quod
„ volueris, extende manum; *quæ*
„ *verba tractans Auguſt. lib. de*
„ *Grat., & lib. Arb. c.* 12. Ec-
„ ce, *inquit*, apertiſſime videmus
„ expreſſum noſtræ libertatis ar-
„ bitrium: *Videri etiam poſſunt*
„ *teſtimonia apud eumdem Auguſt.*
„ *lib. de Grat. & lib. Arb. a c.* 2.
„ *& apud Cyprianum* 3. *ad Qui-*
„ *rinum c.* 52. *Faciunt etiam illa*
„ *teſtimonia, in quibus tribuitur*

„ *ho-*

„ *homini dominium ſuarum actio-*
„ *num*, *Geneſ.* 4. Subter te erit
„ appetitus tuus, & tu domina-
„ beris illius; *quem locum ad rem*
„ *præſentem optime declarat Pro-*
„ *ſper.* 2. de Vocat. Gent. c.4. *Hinc*
„ *etiam illud Eccl.*31. qui potuit
„ tranſgredi, & non eſt tranſgreſ-
„ ſus, ideo ſtabilita ſunt bona il-
„ lius in Domino; *non eſſet enim*
„ *dignus laude*, *vel præmio*, *niſi*
„ *libere id feciſſet*: *& ideo dici-*
„ *tur Prov.* 4. Rectos curſus fac
„ pedibus tuis; *ut bene declarat*
„ *Aug. Denique* 4. Reg. 12. & n.30.
„ *ſit expreſſa mentio liberi arbi-*
„ *trii humani*, *& frequentia ſunt*
„ *hujuſmodi teſtimonia in Sacra*
„ *Scriptura* „. Ib. n.11.

THESIS II.

„ UT actus voluntatis moralis
„ ſit, neceſſe eſt, ut pro-
„ cedat ex perfecta deliberatione
„ rationis, non ſolum quatenus
poteſt

„ poteſt unum actum, vel objec-
„ tum cum alio conferre in ratio-
„ ne delectabilis, vel alio modo
„ convenientis naturæ, ſed etiam
„ ſub ratione honeſti, aut tur-
„ pis „. *Suar.* 1. 2. *tr.*3. *diſp.*1.

„ *Actus moralis, juxta commu-*
„ *nem modum ſentiendi omnium,*
„ *eſt ille, ex quo confici poſſunt*
„ *boni, vel mali mores hominum.*
„ *Sed hujuſmodi eſt actus ille, qui*
„ *eſt a ratione potente delibera-*
„ *re de honeſtate, vel turpitu-*
„ *dine morum. Et hac ratione in*
„ *Pueris non poteſt reperiri actus*
„ *moralis, neque in Amentibus,*
„ *etiamſi, juxta probabilem ſen-*
„ *tentiam aliquorum, poſſit in eis*
„ *inveniri aliqua indifferentia in*
„ *operando, & aliquis diſcurſus,*
„ *& comparatio inter unum bo-*
„ *num & aliud, & inter com-*
„ *modum, & incommodum. Ergo*
„ *prædictus concurſus rationis eſt*
„ *neceſſarius ad morales actus* „.
Ib. n.6. 7.

De

Digitized by Google

§. I.

De recta libertatis notione, etiam ex lumine naturali.

QUandoquidem duo Moralitatis principia poſuit Suarez, & *liberam Voluntatis operationem*, & *Intellectus advertentiam*: idcirco explicandum prius, de quonam libertatis genere ſit ſermo, ut actus inde procedens moralis appelletur. Quoniam vero Libertas a contrario melius dignoſcitur; idcirco propoſitum eſt duplex libertatis oppoſitum, ſcilicet *Coactio*, & *Neceſſitas*. Sane *Coactio* deſtruit perfecte voluntarium; dicit enim ex Suar. r. 2. *tr.*2. *diſp.*1. *Sect.*1. *n.*9. „ vim illatam „ contra internum appetitum elicitum vo- „ luntatis „ & idcirco coincidit cum involuntario. *Neceſſitas* vero ib. „ ſignificat deter- „ minationem ad unum abſque indifferen- „ tia ad oppoſitum „. Jam libera dicitur Voluntas, quæ utroque hoc impedimento caret. Quare ſi Deus ſolum concurreret ad actum voluntatis aliter, quam natura libera voluntatis poſtularet; in tali caſu daretur neceſſitas in voluntate. Libertatis hujus optimam tradidit notionem Jo: Damaſcen. *l.*2. *c.*22. cum de homine ita loquitur. „ Libera poteſtate, & arbitrio, (ἀυτεξουσίως) „ & cum ratione movetur; itaque libera „ poteſtate appetit, libera poteſtate vult, „ quærit, conſiderat, conſultat, judicat, „ afficitur, eligit, impellitur libere ad „ agendum; libere item agit in iis, quæ „ natu-

„ naturæ conſentanea ſunt &c. „ Eſt igitur de libertatis intimo conceptu plena ad utramque partem ſive contrarietatis, ſive contradictionis indifferentia. Quæ quidem licet ex Revelatis indubitate conſtet; adhuc hæret firmiſſime in cujuslibet hominis etiam rudis mente. Quilibet ſane de hac ſua indifferenti poteſtate certus eſt lumine naturali, ut contra hanc indifferentiam argumenta omnia riſu excipiat; & quodlibet deponere paratus ſit cum eo, qui velit argumentis oſtendere, ipſum ad alterutram partem eſſe determinatum. Quin imo qui ita arguit ſponſionem non accipiet de re quapiam, ab alterius voluntate pendente. *Metus* non eo ipſo aufert Voluntarium ſimpliciter; licet inducat Involuntarium ſecundum quid, ſcilicet ex parte; quod patet ex illo actu: *nollem hoc facere*. Sunt indicia clara hujus Involuntarii Triſtitia, quæ comitatur opus; & quod opus ſecundum ſe non ſit amabile voluntati. *Concupiſcentia* ſeu affectus ſenſitivus, ſi eſt antecedens, minuit *libertatem* in actu voluntatis; quia trahens voluntatem ad aſſenſum minuit ejus indifferentiam. Nam 1. minuit *advertentiam rationis* ad difficultatem: 2. repræſentat objectum pulcrius, atque *eligibilius*, ac eſt. Auget nihilominus intenſive Voluntarium: licet minuendo libertatem, minuat voluntarii aliquam ſaltem extrinſecam perfectionem. Atque hæc omnia ex Suarezii Principiis.

§. 11.

De Advertentia rationis: quid ſit, & quotuplex?

ALterum moralitatis Principium, ſcilicet *Intellectus advertentia*, nequit melius dignoſci, quam ex ejus contrario, nimirum ex Ignorantia, & Inconſideratione. Profecto aliquando datur *Ignorantia antecedens*, quæ eſt modo ſuo cauſa actus: quatenus ſcilicet tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, non fieret actus, quantum eſt ex præſenti diſpoſitione voluntatis. Et tunc revera excuſat a Culpa reſpectu rei ignoratæ, reſpectu cujus cauſat involuntarium: quemadmodum Inconſideratio involuntaria quoad conditionem aliquam non conſideratam: contra vero, ſi Inconſiderantia ſit voluntaria. Aliquando hæc Ignorantia eſt *concomitans*, ſi nimirum actus fiat non ex Ignorantia, ſed cum Ignorantia. Hinc *Ariſt.* 3. *Etich.* *c.*1. & *Nyſſen.* *l.* 5. *Phil.* *c.* 2. ajunt „ De „ prioribus triſtamur, cum advenerit ſcien- „ tia; de poſterioribus vero lætamur „. Jam utraque hæc Ignorantia ſi eſt voluntaria, & privat ſcientia rei præceptæ, eſt culpabilis: ſi vero eſt involuntaria, eſt inculpabilis. Eſſe autem poteſt *Affectata*, ſi ſit, ut ajunt, in ſe volita: *Craſſa*, & *Supina*, ſi omittat diligentiam, quam ceteroqui putet quis ſibi debitam in perquirendo; licet de cetero omittat, vel quia directe nolit; vel ob deſidiam, & pigritiam, & quaſi indirecte. Rurſus ſi eſt in homi-

ne

ne habente phyſicam poteſtatem, eſt *vincibilis*, ſecus *invincibilis*: unde prima eſt culpabilis, ſecunda non item. Tandem altera eſt ignorantia *Juris*, altera *Facti*. *Sub Jure* comprehenditur Jus divinum, naturale, & poſitivum, aut Jus humanum, ac denique omne Superioris præceptum: ſub *facto* vel tota actio, vel ejus circumſtantia, vel effectus, qui ex illa poſtea ſequitur: Utrumque horum Jus, & factum poteſt invincibiliter, & vincibiliter ignorari; & nullus dubito, quin in omni jure poſſit cadere ignorantia invincibilis; quamvis facilius, in jure poſitivo divino, quam naturali, quia hoc habet cum homine magis intrinſecam connexionem. Hæc rurſus juxta Suarezii principia.

§. III.

Quomodo advertentia agat in opus.

JAmvero *ſect.* 2. *diſp.* 1. *tr.* 2. *n.* 17. *ait* Suar. „ De ratione actus moralis in primis eſt, ut ſit per ſe, & intrinſece Voluntarius. Hoc autem Voluntarium, ut ſit „ perfectum, indiget perfecta advertentia „ rationis, quæ in actu non ponit aliquid „ præter entitatem ejus, ſed ſolum directionem quamdam, a qua denominatur „ actus cum advertentia, ſeu perfecto modo factus. Ut, ſi quis voluntarie, & ex „ directione artis fingat monſtrum, actio „ eſt artificioſa. Si vero, volens depingere „ hominem, caſu depingit monſtrum, actio

„ non eſt artificioſa, ſed deficiens ab arte:
„ & tamen ſi conſideretur phyſice actio
„ ipſa, eodem prorſus motu phyſico perfi-
„ citur „.

§. IV.

Heineccii de advertentia, & libertate ſententia expenditur.

DE duplici hoc principio actuum moralium eadem ferme habet, licet jejune ſatis Heineccius, & quidem non diſſimili modo explicat §.50. varias Ignorantiæ, atque erroris diviſiones, ſcilicet *vincibilis*, *invincibilis*, *voluntariæ*, *involuntariæ*, *concomitantis* &c. *Libertatis* notionem dat §.53. „ Facultas ex duobus poſſibilibus „ alterutrum, prout e re videatur, eli- „ gendi „. Hæc autem Libertatis explicatio licet videatur prima fronte clara, & vera, adhuc obſcura ſatis eſt, & fraudulenta. Si quidem 1. non indicat ſpecificationis, & exercitii libertatem. Præterea magis verſatur circa objecta eligibilia externa, quam circa actus Voluntatis immediatos, circa quos eſt proprie immediata Libertas. Denique verba illa: *Prout e re videatur*, vel ſignificant poteſtatem dominativam Voluntatis in ſuos actus; & ſunt redundantia: quaſi diceret: *e duobus poſſibilibus alterutrum pro libertate eligendi*; vel, quod potius reor, ſignificat, Voluntatem determinari ad eligendum id, quod apparet ſub majoris boni ratione, quod eſt inſidioſum, & in Leibnitzianam recidit ſententiam,

Digitized by Google

tiam, de qua inferius, Quod autem in hoc ſenſu Heineccius loquatur, ex iis quæ ibi ſubdit, poteſt colligi „ ſic quantacunque in „ Fure ſit contrectandæ rei alienæ cupidi„ tas, ei tamen ille non ſuccumberet, ſi „ ſibi tanti criminis effecta, veluti ſqual„ lorem carceris, ergaſtulum, flagra, æquu„ leum, ipſam denique furcam poneret ob „ oculos. Nec minus qui voluptatibus, at„ que otio magnopere delectantur, ad ho„ neſtiora ſtudia, ac diligentiam ſeſe illico „ inflammari ſentirent, ſi, adhibita in con„ ſilium ratione, paullo expenderent accu„ ratius, quanta ſit doctrinæ, ac ſapientiæ „ præſtantia, quanta utilitas, quam incre„ dibilis ſuavitas, & quam irreparabile con„ tra damnum cum inertia, atque igno„ rantia conjunctum ſit „. Alia etiam principia, non omnino ab illis Suarezij diſſimilia ſtatuit de corporis *conſtitutione*, ſeu *temperamento*, de *affectibus*, de *externa* vi libertati non officientibus. At de *coactione* ait §. 59. „ negari nequit, voluntarias eſſe actio„ nes *coactas*, quia quamvis non agere mal„ lemus, niſi nobis repræſentaretur malum „ atrocius, voluntas tamen hanc actionem „ vere decernit „. Verum admittere debet Heineccius, coactionem libertati officere, & aliquo modo Voluntarium minuere.

§. V.

Puſendorfii etiam opinio de libertate quoad aliqua approbatur.

PUſendorfius etiam, ſed inſiſtens veſtigiis Catholicorum quoad binas hominis facultates, bene ratiocinatur *l.* 1. *c.* 3. §. 1. de Jure Naturæ, & Gentium exponens quid cuique conveniat facultati: Tum §. 2. hæc habet. „ Id tamen eſt penes hominem, „ objecto conſiderando acriter incumbere, „ & accurata meditatione rationes bonita- „ tis, & malitiæ exactius trutinare, adeo- „ que non in nuda dumtaxat ſuperficie hæ- „ rere, ſed in ipſa rei veluti viſcera pene- „ trare „. Quid autem ſit *eſſe voluntarium* penes Puſend., habemus de J. N. & G. *l.* 1. *c.* 5. §. 1. „ Voluntarias actiones vocamus „ illas, quæ a Voluntate hominis, tanquam „ a cauſa libera, ita dependent, ut citra „ ipſius determinationem, ab actibus ejuſ- „ dem elicitis prævia cognitione Intellectus „ profectam, non fierent; quæ adeo, ut „ fiant, vel non fiant, in facultate homi- „ nis eſt poſitum „. Hic autem hallucinatur Puſendorfius, dum Voluntarium explicaturus, cum libero confundit: patet enim cuique utriuſque differentia. Nullibi autem melius hominis libertatem exponit Puſend., quam de J. N. & G. *l.* 1. *c.* 4. *a* §. 1. *ad* 10. *ſic.* §. 1. habet. „ Animæ Voluntatem (Deus) „ indidit tanquam internam actionum mo- „ deratricem, ut objectis propoſitis, & co- „ gnitis ex principio intrinſeco citra neceſ-

„ ſita-

ſitatem aliquam phyſicam ad illud ſe moveret, & eligere poſſet, quod ſibi tanquam maxime congruum arrideret; & contra ab illis ſe averteret, quæ ſibi non convenire viderentur „. Tum §. 2. explicat clarius mentem ſuam. „ Libertatem vocant facultatem Voluntatis, quæ, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, ex pluribus objectis propoſitis unum, vel aliqua poteſt eligere, reliqua rejicere; aut uno dumtaxat propoſito, id admittere, vel non admittere, agere, vel non agere „. An non mutuata ſunt hæc ex principiis poſitis Suarezii, & Catholicorum? Tum ſubdit explicationem libertatis *contrarietatis*, & *contradictionis*.

§. VI.

De libertatis Indifferentia ex Puſendorſio.

SEd quoniam objectum cognitum videtur Voluntatem movere, & allicere, vel contra: qua ratione id fiat, explicat, ſed ex Catholicis, Puſend. §. 2. „ Etſi, ut alicui res quæpiam adpetenda, vel fugienda videatur, id a Voluntate non dependeat, ſed ab objecti conditione, prout id boni, vel mali faciem repræſentat; tamen iſta appetitio, & averſio, quæ objecti veluti faciem ſequitur, non eſt adeo efficax, quin Voluntati adhuc ſuperſit Libertas ad actum externum circa id objectum ſeſe determinandi: præſertim, cum unius mali facies tantiſper velut appetibilis reddi

 „ poſ-

„ poſſit, ad latus poſito alio malo;„. Unde inferri legitime videtur, Bonitatem, vel Malitiam objecti non eſſe ſufficiens determinativum Voluntatis ad actum. Sed adhuc clarius §. 3. „ Cæterum primaria Voluntatis affectio, & quæ immediate ex ipſius „ natura emanare videtur, eſt, quod intrinſece ad certum, fixum, atque indeclinabilem agendi modum non ſit adſtricta „ (quod tantiſper *Indifferentiam* vocabimus) „ & quod iſthæc intrinſeca ipſius indifferentia per extraneum aliquod medium penitus extirpari nequeat. Idque eo firmius „ eſt tenendum, quod iſta ſublata actionum humanarum moralitas funditus ſimul „ tollatur. „ Hic vero caſtigandus eſt Puſendorfius, ubi divinæ poteſtatis immemor ait: *indifferentiam illam per extraneum medium extirpari non poſſe*. Poteſt autem Deus libertatem indifferentiæ auferre vel concedendo unionem hypoſtaticam, vel infundendo viſionem beatificam, vel ſubtrahendo concurſum ad alteram ex duabus partem. Rurſus ſub gratia Calviniana, Janſeniana, aliiſque mediis auferri poteſt indifferentia. Quantum adeo inſederit in Puſendorfii animo hæc voluntatis Indifferentia, patet ex iis, quæ ſubdit paullo poſt. „ Atque hoc revera facere cenſendi ſunt, (ſcilicet tollere Indifferentiam, & ſimul Moralitatem „ actuum) qui neſcio quam prædeterminationem phyſicam in actibus humanis fingunt, ex qua ipſe quidem motus in ſe, „ ut conſideratur tanquam ens phyſicum, „ a cau-

„ a cauſa prima ita ſit determinatus, ut „ non poſſit non eo, quo determinatus eſt, „ modo fieri, cui deinde a cauſa ſecunda „ moralitas accedat. Neque minus illi, „ qui ex Præſcientia divina abſolutam actio- „ nibus humanis accedere neceſſitatem vo- „ lunt „. In qua quidem ſententia poſteriore explicanda requirit, vel ut vocabulum Præſcientiæ *depuretur*, ne lædat indifferentiam; vel ſecus cauſæ principales evadant cauſæ inſtrumentales. At vero vocabulum Præſcientiæ, non eſt, quare ſit *depurandum*, cum ſit, & a Scriptura, & a Patribus communiſſime uſurpatum; ita tamen, ut nihil officiat Indifferentiæ Voluntatis: dicendo, eſſe in poſteriori objectivo reſpectu determinationis Voluntatis: neque idcirco Voluntatem aliquid agere, quia Deus præſcivit; ſed viceverſa, ideo Deum ab æterno præſciviſſe, quia Voluntas ad aliquid ſe olim libere determinabit. Hoc ſane ignoraverunt Ethnici, qui, Tullio teſte, ne Libertati humanæ officerent, divinam Præſcientiam eſſe tollendam exiſtimabant; quare, ut homines facerent liberos, fecerunt Sacrilegos.

§. VII.

Bonitas objectiva non tollit Indifferentiam Libertatis ex Puſendorfio.

SEd & objecti naturam conſiderat Puſend. conceditque §.4. „ hanc eſſe Voluntatis naturam, ut Bonum in genere ſem-

„ per adpetat, Malum in genere ſemper „ averſetur . . . atque in iſthac voluntatis „ inclinatione velut generali nulla poni in- „ differentia poteſt „ Sed circa particularia bona dari, ait, *indifferentiam*, „ Idque „ hanc ob cauſam, quod tantum non om- „ nia bona, & mala homini haudquidquam „ appareant velut pura, & ſimplicia, ſed „ invicem mixta mala bonis, bona ma- „ lis „. Unde detur homini expendere momenta pro libito „ bonorum, & malo- „ rum, verorum, aut adparentium, quæ „ poſtquam animum hinc inde traxerunt, „ tandem ad alterutram ſe partem Volun- „ tas intrinſece determinat „. Optime qui- dem, & cum Catholicis conformia. Sed ap- poſite ſubdit §.5. „ Non ſemper contingit, „ ut, velut in æquilibrio poſitus animus, ci- „ tra ullum accedens momentum ſeſe ad „ agendum, vel non agendum applicet „. Tum proponit, quæ hominis Voluntatem in alterutram partem flectere videntur, In- genii diſpoſitio, Cœli, Soliſque genius, Hu- morum temperatura, conformatio Organo- rum, aliaque: additque „ circa quæ omnia „ id tenendum, nulli harum tantam eſſe „ vim, ut voluntas nullo modo poſſit in „ diverſam partem pertendere „. *De habi- tibus* vero, quibus Animus trahi videtur, „ quique in naturam fere videntur abire, „ ſic ut egerrime iis reſiſtatur „ ait §.6. „ non ideo tamen inde profectæ actiones „ inter ſpontaneas cenſeri deſinunt „. Con- fundit hic Pufendorfius ſpontaneum cum li- bero.

Digitized by Google

bero. De affectibus etiam adnotat §.7. „ affectus, utcunque vehementes, voluntatis „ vim haudquidquam extinguere; quin illos ipſos quoque, qui imbecilliores Animas habent, poſſe acquirere imperium „ abſolutiſſimum in omnes ſuas paſſiones, „ ſi ſat induſtriæ adhiberetur ad eos inſtituendos, & dirigendos „.

§. VIII.

De Advertentia Intellectus ex Puſendorfio.

DE altero etiam principio nonnulla proponit Puſend. *De J. N. & G. l.*1. *c.*5. §.10. ubi ait: „ Ignorantia in tantum imputationem tollit, quantum illa actionem „ reddit invitam „. Hoc tamen fieri neutiquam poteſt, ut invita ſit actio ex ignorantia, ſed potius minus voluntaria. Ignorantia autem ex ipſo Puſendorfio excludit ſolum imputationem in ſingularibus, & quæ in facto verſantur, non vero in univerſalibus, & quæ quis ſcire tenetur. In quo ſane nullo pacto rationabiliter procedit Puſendorfius: Cum eadem ſit ratio, & quare imputari unum non debet ob ignorantiam facti; & imputari neque debet ob ignorantiam Juris, ſaltem in foro interno, ſi utraque ſit inculpabilis, & involuntaria. Patet ex prop. damn. Alex. VIII.

Digitized by Google

§. IX.

De Leibnitzii Ratione ſufficienti.

Contra libertatem hanc *Indifferentiæ* acriter pugnatum eſt a Leibnitzio ex capite *Principii Rationis ſufficientis*, ut patet tom.1.*Recueil de diverſes pieces &c.* Ex Epiſt. inter Leibn. & Clarkium. Sane contendebat Leibn. dari debere aliquam rationem, cur res ita ſit potius, quam aliter: rurſus cur Voluntas, etiam divina, rem ita velit potius, quam aliter: ſecus diceretur, Deus operari irrationabiliter, quod repugnat Sapientiæ Divinæ. Ita ſe habet, ait, Voluntas, quemadmodum Bilanx impoſitis hinc inde ponderibus; eo nimirum inclinatur bilanx, ubi majus eſt pondus: nec ſecus Voluntas id eligere debet, quod eligibilius eſt, & apparet. Verum in hac hyp. contendebat Clarkius, actum eſſe de Libertate indifferentiæ. Profecto dari debet ratio aliqua, cur Divina Voluntas rem uno modo velit, & non alio: ſed hæc ratio non eſt ſemper ab ipſa Voluntate diſtincta; neque enim dari debet ratio determinans Voluntatem divinam ad eligendum unum potius, quam aliud: quia hoc contradicit perfectioni ipſius Dei, entis ſumme activi, & liberi. Exemplum Bilancis non eſt ad rem: nam Bilanx eſt potentia mere paſſiva; non ita vero Voluntas.

Digitized by Google

§. X.

Explicatio Leibnitzianæ Rationis ſufficientis ex Suarez.

CONtroverſia hæc ab an.1715. uſque ad obitum Leibnitzii ferme per annum agitata eſt, ut vidimus; ſed jam plures ante annos, quando nimirum Metaphyſicam ſuam ſcribebat Suarezius, & ipſius difficultates excogitavit, & reſponſiones tradidit. Itaque Suarez *diſp.19. Sect.6. tom.1. n.1.* ita proponit pro Leibn. ſententia rationes. „In „ favorem ſententiæ, quod ſcilicet Voluntas, dum libere vult, a ratione determinetur, ratio eſſe poteſt, quia Voluntas non poteſt ferri niſi in objectum cognitum, & per rationem propoſitum, cum ſit appetitus rationalis 3. *Ethic. c.2.* Ergo donec ratio determinate judicet, quid eligendum ſit, non poteſt Voluntas eligere; alias tenderet in objectum incognitum: Ergo & e converſo, ſtante illo definito judicio, hoc eſt eligendum, & non poteſt voluntas non eligere; quia alias etiam tunc ſine ratione duceretur; & formaliter vel virtualiter ſaltem ferretur in incognitum: quia non eligendo, vel formali, vel virtuali actu refutat illud objectum, vel vult non amplecti tale medium ſine ulla ratione, vel judicio. Repugnat ergo, Voluntatem ſic operari „ Rurſus *n.13.* „ Si unum tantum adeſt Judicium, (ſeu ratio), illud omnino ſequetur Voluntas; quia non habet illud aliud, „ ad

„ ad quod ſe vertat. Si vero adſunt plura, „ neceſſario ſequetur illud, quod eſt de utiliori medio aut meliori objecto: atque „ ita ſemper determinabitur a judicio „. His in locis Suarez profert clariſſime fundamenta Sententiæ Leibnitzianæ, ut patet conſideranti.

§. XI.

Impugnatio Leibnitzianæ Rationis ſufficientis ex Suarez.

SEd ipſemet ſolidiſſime difficultates propoſitas reſolvit: ſiquidem *n.2.* exponit rationem apud ſe *irrefragabilem* „ ſi illud „ Judicium rationis eſt ita prærequiſitum „ ad operandum, ut in ſuo genere ſit cau„ſa neceſſaria ad actum liberum Volunta„tis: & illo Judicio poſito, Voluntas non „ poteſt non conſentire illi; ergo Volun„tas non eſt talis Potentia, quæ, poſitis „ omnibus abſolute prærequiſitis ad operan„dum, poſſit velle, & non velle: ergo „ non eſt potentia libera. Tota collectio „ videtur evidens; & declaratur amplius: „ nam poſito judicio, Voluntas ex neceſſi„tate vult in ſenſu (ut ajunt) compoſi„to „. Atque hoc quidem argumentum videtur eſſe a poſteriori, & ab inconvenienti. Aliud exhibet Suarezius veluti a priori, & ex re ipſa infra *n.79.* ſic „ Judicium „ Intellectus non movet Voluntatem, niſi „ medio objecto, quod proponit: ſed ob„jectum propoſitum non ſemper infert ne„ceſſitatem Voluntati, aut determinat il„lam

„ lam ad unum , neque hoc eſt neceſſa-
„ rium , ut Voluntas poſſit in objectum
„ tendere ; ergo nec eſt neceſſaria ex par-
„ te judicii, imo nec eſt poſſibilis talis de-
„ terminatio „ . Videtur hic Suarezius uti ſerme iiſdem vocibus, ac utitur Wolfius in propugnando rationis ſufficientis principio. Quod autem Voluntas ab objecto propoſito non ſemper determinetur ad unum , patet . „ Nam perinde eſt dicere , Voluntatem non neceſſitari ab alio , ac non
„ determinari ad unum ab illo : Sed eſt
„ certum , non neceſſitari ab omnibus ob-
„ jectis ; ergo nec determinari ad unum.
„ Igitur quoad exercitium ſolum in Patria
„ ab infinita bonitate Dei clare viſi deter-
„ minatur ad unum juxta receptam doctri-
„ nam . Quoad ſpecificationem vero a bo-
„ no in comuni , aut ſimilibus objectis ,
„ non vero ab omnibus, quia non in om-
„ nibus apparet aliqua neceſſaria ratio bo-
„ ni : vel non apparet talis bonitas ,
„ quæ non habet *admixtam vel malitiam*,
„ *vel incommodum aliquod , aut defectum* .
„ Quamvis autem objectum non ſic deter-
„ minet Voluntatem ; poteſt eſſe ita ſuffi-
„ ciens ad excitandam , & alliciendam il-
„ lam , ut ipſa ſua libertate determinetur,
„ aut feratur in illud „. Atque hic adverti poteſt , quomodo Puſendorfius pari modo, & iiſdem ferme verbis loquutus ſit de Objectorum bonitate, ac Suarez .

Occu-

Digitized by Google

§. XII.

Occupatio Suarezii ad Leibnitzii argumenta.

SEd quam ſolide retundit contrarias a ſe propoſitas rationes! Etenim *n.*10. ait: „ ex eo, quod Voluntas non poteſt ferri in „ incognitum, ſolum habetur, neceſſarium „ eſſe judicium Intellectus, ut Voluntas „ poſſit eligere, non vero ſequitur oporte- „ re, ut illud judicium determinet Volun- „ tatem ad unum... Sufficit ergo illud ju- „ dicium, quo medium hoc judicatur uti- „ le, &, penſatis omnibus, aptum, ut eligi „ poſſit, & idem eſt de quolibet objecto „ bono, quod ſcilicet judicetur ſufficienter „ bonum, ut amari poſſit „. Ratio ſufficiens requiritur etiam in Deo reſpectu actuum ſuæ Voluntatis in ſententia Leibnitzii; unde hic infert, Deum ſemper eligere, quod optimum eſt, nec aliter poſſe; nec poſſe creare duo perfecte ſimilia: Jam Suarezius præoccupat Leibnitzianum principium in Deo *n.*11. „ ut Deus in æternitate ſua aliquid extra „ ſe determinate, ac libere velit, non opor- „ tet, ut ante omnem determinationem li- „ beram præcedat noſtro modo intelligen- „ di in Intellectu divino hoc Judicium, hoc „ mihi omnino amandum eſt, aut eligen- „ dum: eſſet enim tale judicium temera- „ rium, ac ſine fundamento, & in rigore „ falſum: nam includit, quod tale objec- „ tum extra Deum ſit ipſi aliquo modo „ neceſſarium. Solum ergo antecedit judi- „ cium, quod tale objectum ſit conveniens,

„ aut

„ aut eligibile „ . Infra vero *n*.13. ſuppo-
nit , dari poſſe aliqua omnino ſimilia : ne-
que enim independenter ab ipſo principio
rationis ſufficientis probari poteſt hæc impoſ-
ſibilitas , tum ait : „ Voluntas divina inter
„ hanc materiam , & aliam omnino æqua-
„ lem , & ſimilem , & inter hos Cœlos , &
„ alios omnino æquales (& ſic de aliis
„ rebus) hos eligit creare præ aliis : hoc
„ autem non poteſt referri in judicium
„ inæquale (ſeu in rationem potiorem) :
„ quia neque ex parte ipſorum , nec ex
„ parte Dei eſt aliqua ratio , in qua poſſit
„ fundari tale judicium , quod verum ſit .
„ Eſt ergo illa præelectio ſolum ex determi-
„ natione libera divinæ Voluntatis „ . Et
quamvis probari poſſit a Leibnitzianis, re-
pugnare duo perfecte ſimilia , & unum eſ-
ſe debere neceſſario melius altero ; adhuc
ait Suarezius „ in divina Voluntate multis
„ videtur hoc neceſſarium (ſcilicet non te-
„ neri ad eligendum melius) ; quia potuit
„ meliora facere , quam fecit , & tamen
„ noluit . Unde omnes TT. docent , Dei
„ Incarnationem fuiſſe optimum medium ad
„ redimendos homines , idque neceſſario ju-
„ dicaſſe Deum prius ratione , quam illud
„ vellet ; & nihilominus ſtante illo judicio
„ potuiſſe Deum id non velle , ſed aliud .

Unde patet reſponſio ad id , quod ſibi
Objecerat Suarezius , quando repræſentatur
objectum melius : „ Cenſeo probabilius , non
„ determinari voluntatem neceſſario ad id ,
„ quod eſt melius , ex vi judicii . Probatur ,
„ quia

„ quia hoc ipſo , quod neutrum proponitur
„ ut neceſſarium , poteſt Voluntas utrum-
„ que non amare: ergo etiam poteſt indif-
„ ferenter amare quod libet illorum , præ-
„ termiſſo alio. Judicium itaque de melio-
„ ri , vel utiliori medio non determinat
„ Voluntatem ad illud volendum. Tamen
„ ex vi prioris actus, aut intentionis Vo-
„ luntatis fieri poteſt, ut omnino determi-
„ netur ad eligendum utilius medium , ſi
„ illa major utilitas neceſſaria ſit ad con-
„ ſequendum finem, prout fuerat intentus:
„ ſed tunc jam non eſt tantum utilius ,
„ ſed neceſſarium ad talem intentionem
„ explendam. At, ſi illa major utilitas non
„ ſit neceſſaria ad intentionis finem , judi-
„ cium de illa non determinabit Volunta-
„ tem, ut omnino tale velit medium „.
Quando tandem unum repræſentatur objec-
tum, & unum eſt judicium, quo intellec-
tus judicat illud eſſe conveniens , & di-
gnum, ut appetatur, & quantum poteſt ,
practice invitat Voluntatem , ut illud ap-
petat, ait Suarez *n.*14. „ adhuc poteſt Vo-
„ luntas pro ſua libertate illud non amare :
„ quia ad non exercendum actum præciſe,
„ non indiget alio judicio , ſed ſatis eſt ,
„ ut per illud , quod homo nunc habet ,
„ non judicet hoc bonum hic, & nunc eſ-
„ ſe ſibi neceſſario diligendum . Unde po-
„ teſt tunc Voluntas vel ſuſpendere actum ,
„ vel divertere intellectum, ne de illo ob-
„ jecto cogitet, vel applicare illum, ut de
„ illo objecto diligentius inquirat , quanta
ſit

Digitized by Google

„ ſit ejus bonitas, & an habeat conjunctam aliquam malitiam, vel diſconvenientiam, ob quam poſſit non ſolum non amare illud, ſed etiam odiſſe. Nunquam ergo judicium ut ſic determinat omnino Voluntatem.

„ Atque hæc quidem volui fuſius exponere, ut nimirum conſtaret, & Leibnitzianam rationem ſufficientem multo ante Leibnitzium a Suarezio excogitatam, & argumentis firmiſſimis confutatam.

CAPUT TERTIUM

De intrinſeco principio Moralitatis.

THESIS.

„ DEi Voluntas, Prohibitio, „ aut Præceptio non eſt tota ratio bonitatis, & malitiæ, „ quæ eſt in obſervatione vel tranſgreſſione Legis naturalis; ſed „ ſupponit in ipſis actibus neceſſariam quamdam honeſtatem, „ vel turpitudinem, & illis adjungit ſpecialem Legis divinæ obligationem „ *Suar. de Leg. l.2. cap.6.*

„ *Fundari poteſt in illo Metaphyſico principio, quod naturæ rerum, quoad eſſe eſſentiæ, ſunt*

„ *im-*

„ *immutabiles , & conſequenter*
„ *etiam quoad convenientiam, vel*
„ *diſconvenientiam proprietatum*
„ *naturalium: Nam licet res ali-*
„ *qua poſſit privari naturali pro-*
„ *prietate, vel contrariam acci-*
„ *pere; non tamen fieri poteſt, ut*
„ *ille ſtatus ſit illi connaturalis,*
„ *ut late Victor. relect. de homic.*
„ *d.4. & ſeq. & attigit Soto. Con-*
„ *firmatur a poſteriori: quia ſi*
„ *odium Dei v. g. non haberet ali-*
„ *quam rationem intrinſecæ mali-*
„ *tiæ priorem prohibitione, poſ-*
„ *ſet non prohiberi: nam cur non*
„ *poterit, ſi non eſt malum de ſe?*
„ *Ergo poſſet licere, vel eſſe ho-*
„ *neſtum, quod plane repugnat* „
Ib. n.11.

§. I.

Communis Catholicorum ſententia.

UTrum tota ratio moralitatis in actu morali tandem refundatur in aliquam legem Dei, ſeu in actum divinæ voluntatis, ſunt qui controvertunt. Hoc autem poteſt dupliciter accipi: 1. an videlicet Ra-

Ratio prima Honeſtatis ſit a divina Voluntate ? 2. an ipſa ratio Moralitatis dependeat etiam a divina Voluntate ? Sed quoniam in pluribus utraque controverſia coincidit; idcirco & utramque complecti videtur hîc Suarez, ubi aſſerit: *In obſervatione, vel tranſgreſſione legis naturalis* (loquitur igitur de actibus honeſtis) *Dei voluntas, præceptio*, aut *prohibitio non eſt tota ratio bonitatis, & malitiæ, ſed ſupponit in ipſis actibus neceſſariam honeſtatem, vel turpitudinem*. Igitur, ſi *honeſtas* eſt Suarezio quid intrinſecum actibus, a fortiori erit *moralitas*, quæ eſt quid prærequiſitum ad honeſtatem. Jam propoſitionem iſtam ſuſtinent Doctores Catholici paſſim, ut ait Suarez *De Leg. l.*2. *c.*5. *n.*2. Cum D. Thoma 1. 2. *q.*100. *art.*8. *Vaſquez* 1. 2. *diſp.*150. *cap.*3. *a n.*22., qui ait: „ Quædam ita ex ſe mala „ & peccata eſſe, ut ex nulla voluntate, „ etiam Dei, eorum prohibitio pendeat; „ id, quod a nobis ſatis, ſuperque probatum „ eſt (*diſp.*97. *c.*3.). Nec ſolum hoc ita „ eſſe oſtendimus, verum etiam monſtravi„ mus, multa eſſe ex ſe mala, ut eorum „ malitia præcedat ſecundum rationem om„ ne Judicium Divini Intellectus: hoc eſt, „ non ideo ſint mala, quia mala judican„ tur a Deo; quin potius ideo talia judi„ centur, quia ex ſe talia ſint. Ex quo il„ lud efficitur, ut ante omnem Dei Vo„ luntatem, & Imperium, immo etiam „ ante omne Judicium aliqua ex ſe ſint bo-

„ na

„ na opera, vel mala, ut ibidem monſtra-
„ tum eſt.

§. II.

Grotii ſententia ab adverſariis vindicatur.

GRotius de Jur. Bel. & Pac. *lib.*1. *c.*1. §. 10. *n.*2. ait „ objectum *Juris naturalis* eſſe actus *debitos*, aut *illicitos* per „ ſe: *poſitivi divini* indifferentes. Hinc il- „ los præcipit Deus, aut vetat, quia in ſe „ juſti, aut injuſti ſunt: hi juſti, aut injuſti „ ſunt: quia Deus præcipit eos, aut vetat „. Hic vero eſt advertendum, a Grotio proponi tanquam objectum Juris Naturalis *actus debitos per ſe:* quod quidem minus accurate dictum in cauſa fuit, cur a ſuis adverſariis improbaretur, ac ſi actus admitteret eodem modo debitos ante legem, ac poſt illam: cum revera aliam diverſam omnino obligationem habeant actus honeſti ante legem, aliam poſt legem. Sane ante legem unaquæque res exigit, ſeu habet ex natura ſua obligationem nihil patrandi, quod ipſi ſibi adverſetur; & rurſus exigit, ut quæ ſibi conducentia ſunt pro loco, & tempore, fiant. Atque hæc eſt obligatio, quam habet Anima reſpectu actuum honeſtorum ante quamlibet legem; poſt hanc vero nova quædam exurgit ex capite Legislatoris obligatio. Jam in hoc ſenſu recte procedit Gro-

Grotius: & ita debere intelligi ſuadetur ex altera parte, ubi propoſuit *actus illicitos per ſe*: quamobrem male impugnatur etiam quo ad hanc partem a Barbeyracio in notis gallicis ad edit. Grot. an. 1746.

§. III.

Hineccii ſententia explicatur.

ALiter ratiocinari videtur Heineccius *loc. cit. ubi c.*1. §. 7. 8. 11. Diſtinguit inter actiones bonas, vel malas; & Juſtas, vel injuſtas; & *Juſtas* quidem oriri putat a *Jure*, *&* *Lege*, contra vero *Bonas*: Unde §. 14. ſic habet „ quamvis poſſet quis „ ſuopte ingenio, & ſine lege *bene* agere, „ impellente illum obligatione interna, id„ que & homo nullo religionis ſenſu im„ butus quandoque faciat, eo quod actio„ nem, prælucente ratione, bonam, ſibi„ que utilem fore cognoverit; non tamen „ ideo dicendum ſit, Atheum poſſe *Juſte* „ agere „. Utrum autem bene procedat hæc Heineccii diſtinctio, (niſi forte *actio juſta* reduplicative, ut ajunt, ſumatur) nolo hic controvertere; cum ceteroqui Tullius 1. offic. *c.*19. dicat „ nihil honeſtum eſſe poteſt, quod juſtitia vacet „.

§. IV.

Puſendorfii ſententia proponitur.

PUſendorfius omnem moralitatis vim in Dei voluntate quadam determinata reponit; aitque *lib.*1. *c.*1. §.3. „ Modi hujus

„ (nem-

„ (nempe moralitatis) primum Auctorem „ eſſe Deum, qui noluit, Mortales hanc „ Vitam ſine cultu, ſine more, brutorum „ inſtar tranſire „. Tum §. 4. ſubdit „ mo„ ralitatis attributa ſuperaddita rebus phy„ ſicis ex arbitrio Dei, adeoque, unice per „ ejus determinationem exiſtere „. Rurſus paulo poſt idem repetit „ penes ipſum (Deum) „ tamquam Creatorem, fuerit, libertatem „ oluntatis, quam homini concedere pla„ cuerat, certis limitibus circumſcribere, „ & reluctantem intentato aliquo malo, „ verſus eam, quam ipſe vult, partem flec„ tere „. Quin imo §. 23. ait „ Entia mo„ ralia uti impoſitioni ſuam debent origi„ nem; ita ab eadem ſtabilitatem quoque, „ aut mutationes ſortiuntur; & ubi iſta „ velut ceſſaverit, ipſa ſimul evaneſcunt; „ non ſecus atque extincto lumine, umbra „ ſimul diſparet. Et quidem, quæ divina „ ex impoſitione orta ſunt, non niſi divi„ no arbitrio iterum tolluntur. Quæ ho„ minum placito conſtituta ſunt, eodem „ iterum abolentur, ipſa Perſonarum, aut „ rerum ſubſtantia phyſica haudquaquam „ immutata „. Atque hic eſt advertendum, agnoſcere Puſendorſium Moralitatis alicujus originem etiam ab hominibus, in iis videlicet actibus, qui a lege humana dependent, ut explicuerat ſub initium capitis: Et rurſus poſſe Deum auferre moralitatis vim omnibus actibus, (qui ſane tunc phyſice iidem manerent) actibus, inquam, qui ab eo moralitatis modum exceperunt; iis

vero,

vero, qui hominibus debent moralitatis originem, poſſe homines etiam moralitatis modum auferre. Unde patet, omnem omnino actionem moralem ex Puſendorfii ſententia vel ex Dei, vel ex hominum voluntate pendere.

§. V.

Eadem ſententia impugnatur.

HÆc enimvero Puſendorfii dogmata atrociſſimum illi bellum concitaverunt non a Catholicis modo, ſed a ſuis etiam Lutheranis, aliiſque Proteſtantibus, qui cum Velthemio querebantur, ſic ſibi eripi honeſtum, & turpe per ſe, & antecedenter ad Voluntatem divinam. Quod quidem facile admittebat Puſendorfius, atque adeo adverſarios ſuos de hoc ipſo coarguebat, quod nimirum *actus in ſe, & per ſe juſtos, aut injuſtos* admitterent. Sic enim habet in *Specim. Controv. c.*5. §. 7. „ Quid ergo ad Jus naturæ Deus contulit, ſi actus „ illi ante ejus præceptum in ſe juſti fuerunt, aut injuſti? Humanis equidem Legislatoribus illud per ſe juſtum, & injuſtum opponi debet, nequaquam autem „ Deo; quia *voluit, & fecit*, ut actus illi „ neceſſario humanæ naturæ congruerent, „ vel non congruerent; & quem nulla neceſſitas ſubigebat, ut iſtos actus præciperet, aut vetaret, niſi quam ipſi ſibi fecerat, & quæ fluebat ex fine, quem ſibi „ libere propoſuerat „. In hoc autem val-

de hallucinatur Puſendorfius . Licet enim ſint ex natura ſua honeſti actus, vel inhoneſti, quemadmodum ſunt de facto : illud enim Diogenis Cynici rejicimus apud Laert. *lib.*11. *n.*16. „ Juſtum, & Turpe non natura „ eſſe, ſed lege „ ; contulit nihilominus Deus ex vi Legis Naturalis novam quamdam obligationem, novamque prohibitionem : contulit præmiorum pollicitationem, pænarumque minas, & his ſimilia. Equidem inter Deum, humanoſque Legislatores multum eſt diſcriminis : neque enim quæ præcipit Deus, & homines poſſunt præcipere : nec iiſdem mediis promovere legis obſervantiam. Quoad actus vero morales, eorumque intrinſecam moralitatem dici debet : non minus reſpectu Dei darì actus per ſe, & in ſe morales, ſive bonos, ſive malos, ac reſpectu hominum. Illud profecto liberum Deo fuit, creare homines, vel non creare : poſita autem hypotheſi de hominum creatione, non fuit integrum Deo dari, vel non dari actus morales in ipſis hominibus.

§. VI.

Recta Leibnitzii de Puſendorfio cenſura.

Hinc jure merito Leibnitzii etiam cenſuram tulit Puſendorfius, prout in epiſt. Leibn. cenſoria data an. 1709. ad Molanum Ab. §.15. habemus : „ Neque ipſa norma „ actionum, aut natura Juſti a libero ejus „ (Dei) decreto, ſed ab æternis veritati„ bus divino Intellectui objectis pendet,

„ quæ

„ quæ ipſa, ut ſic dicam, divina eſſentia con-
„ ſtituuntur; meritoque a Theologis Auc-
„ tor reprehenſus eſt: quando contrarium
„ defendit, credo, quod pravas conſequen-
„ tias non perſpexiſſet. Neque enim Juſti-
„ tia eſſentiale Dei attributum erit, ſi ipſe
„ Jus, & Juſtitiam arbitratu ſuo condidit „.

§. VII.

Antilogia quædam Pufendorſii.

SEd aliquo in loco ſententiam ſuam videtur Pufendorfius circumſcribere. Sic primo *l.*1. *c.*2 §.5. *De J. N. & G.* ubi ait. „ Entia moralia pleraque ut inducerentur, „ poſtulaſſe ipſam hominis conditionem a „ Creatore O. M. eidem pro bonitate, & „ ſapientia ſua adſignatam „. Et in ſpecim. Controv. *c.*5. §.*6.* „ Voluntas Legislatoris non concipienda eſt tanquam cæcus „ quidam impetus animi, & mera libido „ nulla ratione ſubnixa... Ultima ratio „ harum legum eſt, quia earum obſervatio ad naturam, & conditionem hominis „ ita quadrat, ut ex illa hujus incolumitas, & felicitas, ſicuti ex ejuſdem neglectu calamitas, miſeria, & deſtructio dependeat „. Et *l.*2. *c.*3. §.14. *De J. N. & Gentium*. „ Etſi nulla neceſſitas Deum adegerit, ut omnino hominem crearet; tamen poſtquam ipſum deſtinaſſet creare „ animal rationale, ac ſociale, non poterat non lex naturalis illi congruere, non „ ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica.

 „ Si

„ Si enim is ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri, & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta „. Ex quibus videtur, poſſe inferri, moralitatem hanc, atque adeo legem ipſam naturalem datam homini a Deo convenienter ad naturam ipſam humanam; & ex hypotheſi creationis naturæ humanæ fuiſſe Deo neceſſitatem talia hominibus imponendi.

§. VIII.

Novæ contra Puſendorſium rationes.

VErum & hic poſſet illud idem repeti, quod Leibnitzius in citata Epiſt. §. 19. contra ipſum Puſendorſium dixerat. „ Mirum eſſet, virum acutum ſecum adeo pugnare potuiſſe, niſi ſciremus, facile evenire paradoxa tuentibus, ut, prævalente ſenſu communi, ſui dogmatis obliviſcantur „. Profecto ſi natura humana concipitur prius a Deo creata, & quidem libere cum talibus proprietatibus; poterat ergo a Deo ſub aliis proprietatibus creari, ut nimirum honeſta forent, quæ nunc inhoneſta ſunt, & viceverſa. Ergo *ultima ratio harum legum* non eſt (ut ipſe vult) *incolumitas*, *& felicitas naturæ humanæ*; ſed eſt ejus libera Voluntas, qua homini talis natura fuit deſtinata. Si vero non alia poterat a Deo dari natura homini, (poſito libero decreto creandi hominis) niſi cui congruerent hæc principia moralitatis: Ergo falſum eſt, quod ait *lib.* 1. *c.* 2. §. 6.

§.6. De J. N. & G. in ſpecim. Controv. §.26.
„ Nemo utique præter Deum homini dedit, „ ut talem habeat naturam, ut talis actuum ab ipſo exercendorum eſſet indoles. „ Cum autem Deus hominem crearet; cum „ talem ipſi, ejuſque actibus naturam daret, quam maxime voluntarie agebat. „ Igitur moralitas illa actuum humanorum „ ad Voluntatem Dei antecedenter ſe habere falſo dicitur „.

Atque hinc ſubſumo: Si actuum humanorum moralitas falſo dicitur ſe habere ante Dei Voluntatem; ergo & ex Dei Voluntate iidem, qui nunc ſunt actus morales, tales non eſſe poterant, & qui ſub una moralitatis ſpecie continentur, poterant ſub alia contineri; ſcilicet ante Dei decretum liberum. Unde homicidium ſub tota Mentis advertentia, & Voluntatis plena libertate patratum, potuiſſet non eſſe actus moralis, adeoque peccatum: quinimo potuiſſet vel ipſum Dei odium eſſe ſub ſpecie morali honeſtatis.

§. IX.

Præcluditur evaſio Puſendorſii.

NEque illud obſtat, quod ait ipſe Puſendorfius, abſurditatem ſui principii ſcilicet præoccupans *l.*2. *c.*3. §.4. De J. N. & G. „ Non eſt, quod aliquem moveat illa „ dubitatio: ſi omnis actuum humanorum „ moralitas a lege dependet, an non Deus „ potuerit legem naturæ ita formare, ut „ contraria forent præcepta illis, quæ jam „ ſunt

„ ſunt: verbi gratia, ut inter officia homi-
„ nis mutua eſſent, occidere, furari, mœ-
„ chari, calumniari; inter vetita autem,
„ gratum animum exhibere, pacta ſervare,
„ mutuum reddere, & ſimilia. Hic etſi ſu-
„ pervacuum, ac petulans videatur, quære-
„ re quid Deus facere potuerit, cum con-
„ ſtet, quid fecerit; tamen, ſi cui etiam
„ vana convellere cordi ſit, facile repone-
„ re poteſt, illam dubitationem non obſcu-
„ re contradictionem involvere. Nam etſi
„ nulla neceſſitas Deum adegerit, ut omni-
„ no hominem crearet; tamen poſtquam
„ ipſum deſtinaſſet creare animal rationa-
„ le, ac ſociale, non poterat non lex na-
„ turalis illi congruere, non ex neceſſita-
„ te abſoluta, ſed hypothetica. Si enim is
„ ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non
„ ſociale animal, ſed alia feri, & horridi
„ ſpecies animantis fuiſſet producta „. Hoc, inquam, non obſtat: nam, quando abſurda illa inferimus ex Puſendorfii principiis, ſcilicet potuiſſe diverſimode conſtitui actus morales non hoc dicimus, quaſi Deus potuiſſet Voluntatem, quam ab æterno habuit, mutare; ſed tantum, quod potuiſſet ab æterno ſtatuere, ut, qui modo ſunt actus mali, eſſent boni, & viceverſa. Et quandoquidem integrum fuit Deo ex Puſendorfio, hanc determinatam naturam homini tradere, potuiſſet aliter hominem conſtituere, ut nimirum odium Dei, perjurium, atque alia hujuſmodi, eſſent bona; & amor Dei, & veracitas eſſent mala.

Præ-

§. X.

Præpoſtera Puſendorfii ratiocinatio.

HInc ordo a Puſendorfio in hac re ſtatutus valde præpoſterus eſt: ait enim *in ſpecim. Controv. c.5. §.26.* „ Primo omnium concipitur homo, tamquam creatura rationalis a Deo libere producenda. Inde concipitur habitudo ipſorum actuum ad normam dirigi aptorum: poſt hanc Lex, tamquam norma, ad quam actus iſti neceſſario referendi, & dirigendi ſint: ac demum concipitur honeſtas, & turpitudo, tamquam affectiones actuum ad normam relatorum „. Ordo autem hic, ut dicebam, præpoſterus eſt, neque ita recte inſtituendus, ut ſapienter de honeſtate, ac turpitudine actuum poſſimus judicare. Quare primo concipitur Honeſtas, & Inhoneſtas actuum, quæ quidem in Deo ipſo adverti poteſt; nam vel in ipſo Deo turpe eſſet velle mentiri, honeſtum implere promiſſa, & hoc independenter a qualibet lege, & quolibet actu divinæ voluntatis. Tum concipiatur Creatura rationalis libere a Deo creata cum ejus eſſentia, & proprietatibus; qua poſita, habetur principium remotum, & fundamentum moralitatis: nam principium proximum eſt actualis advertentia Intellectus, & libera voluntatis determinatio. Deinde Lex naturalis actus aliquos ulterius præcipiens, alios vetans: & quidem actus iſti non ideo honeſti ſunt, quia lege præcipiuntur; & alii turpes, quia prohibentur:

tur : ſed e contrario , ideo præcipiuntur , quia honeſti ; ideo prohibentur , quia turpes. Qua poſita Lege, actus ipſi novam induunt ſpeciem bonitatis., & malitiæ ex Legis obligatione , ad quam referuntur. En rectus ordo moralitatis , quem ſus deque verterat mens clariſſima Puſendorfii.

§. X I.

Rationibus Puſendorfii ſatisfit.

QUibus poſitis, facili negotio diluuntur, quæ inclamat Puſendorfius , videlicet *l.*1. *c.*2. §.6. De J. N. & G. „ qua „ ratione actioni hominis competere poſſit „ aliqua affectio extra Dei impoſitionem, „ & Voluntatem ? „ Rurſus ibidem ſæpiſſime repetit quoslibet actus citra legem eſſe omnino indifferentes , ſiquidem , remota lege, removetur quidquid eſt morale in actu illo. Ergo „ ſi ab his omnibus (Adulterio , „ Furto, Homicidio, Inceſtu, aliiſque) re„ moveas reſpectum ad legem , utique in„ differentia ſunt . Quod autem multi na„ turalem iſtam indifferentiam ægre conci„ pere queant , inde eſt , quod a teneris „ iſtorum vitiorum deteſtatio nobis fuit in„ culcata : quæ opinio ſimplici adhuc men„ ti impreſſa, in vim naturalis cujuſdam „ affectus videtur invaluiſſe „. Ac ſi homo inter improbos homines educatus , adeoque cum naturali iſta Puſendorfiana indifferentia actuum iſtorum minus ἀνχπολόγητος (inexcuſabilis) eſſet ! Sed hujuſmodi objecta , & multo

multo ante prænoverat Suarez, & egregie ſimul confutaverat. Siquidem 1. 2. *tr.3. diſp.7. ſect.1. n.1.* objecerat ſibi. „ Nullus „ actus Voluntatis poteſt ex vi ſuæ entita- „ tis poſitivæ habere malitiam, ſicut boni- „ tatem. Ergo tantum poteſt illam habe- „ re, in quantum deficit a regula Volun- „ tatis, quæ eſt Lex. Ergo non poteſt in- „ telligi actus malus ſine lege extrinſeca „ prohibente. Confirmatur, quia non po- „ teſt intelligi malitia actus ſine obliga- „ tione non faciendi; ſicut neque e con- „ trario intelligi poteſt malitia in carentia „ actus, niſi ſit obligatio operandi. Sed „ omnis obligatio oritur ex lege extrinſeca „ præcipiente, vel prohibente; ergo ſine „ hac nulla eſt malitia: ergo ſicuti talis „ lex non eſt intrinſeca actui, ita neque „ ulla malitia „. Quæ ſane objectio vide- tur adeo placuiſſe Puſendorfio, ut eam in rationem firmiſſimam adoptaret. Sed de- buerat reſponſionem expendere, quam *n.14.* tradit eximius Doctor: „ Cum dicitur, om- „ ne malum debere eſſe contra prohibitio- „ nem, vel contra debitum, ſi intelliga- „ tur de intrinſeco debito naturæ rationali, „ ut ſic, eſt verum, quod aſſumitur: & ex „ illo debito naſcitur judicium rectæ ratio- „ nis prohibens judicando convenientiam „ naturæ, & malitiam contrariam, non „ imponendo novam obligationem: & hoc „ ſatis eſt ad omnia, quæ ibi aſſumuntur; „ neque eſt neceſſaria alia major prohibi-

 „ tio

„ tio exterior, ut dictum eſt: quamvis de
„ facto ſemper hæc concurrat ex protectio-
„ ne divinæ Providentiæ.

CAPUT QUARTUM.

De honeſtate actuum humanorum.

THESIS I.

„ BOnum honeſtum objectivum
„ non poteſt conſiſtere in ſo-
„ la perfectione rei ſecundum ſe.
Suar. 1. 2. *tr.*3, *diſp.*2. *Sect.*2.

„ *Hoc* [*bonum honeſtum*] *dici-*
„ *tur bonum reſpectu rei, cui obji-*
„ *citur, ut amandum, vel proſe-*
„ *quendum: requirit ergo aliquam*
„ *convenientiam cum natura ho-*
„ *minis (cui objicitur). Unde fit,*
„ *ut ipſum eſſe divinum, ſi obji-*
„ *ciatur homini*, ut ſibi appeten-
„ dum, *non habeat rationem objec-*
„ *ti honeſti: quia eſt quid homi-*
„ *ni improportionatum: Si vero*
„ *proponatur ut* amandum Deo,
„ *ſit objectum honeſtiſſimum, &*
„ *proportionatum homini. Ergo*
„ *hoc*

„ *hoc honeſtum, ut tale eſt, re-*
„ *quirit formaliter convenientiam,*
„ *& proportionem cum natura ra-*
„ *tionali* „. In 1. 2. tr.3. diſp.2.
Sect.2. n.11.

THESIS II.

„ HOneſtas Objectiva conſiſtit
„ in quadam convenientia
„ objecti honeſti per ſeipſum ad
„ naturam rationalem, ut talis
„ eſt, & recta ratione gubernari
„ poteſt „. *Suar*.1.2. *diſp*.2. *tr*.3.
Sect.2.

„ *Hæc honeſtas eſt ſuprema bo-*
„ *nitas, quæ in eo genere con-*
„ *venientiæ eſſe poteſt reſpectu*
„ *hominis: Ergo debet eſſe ſe-*
„ *cundum perfectiſſimum gradum,*
„ *& ſupremam perfectionem, quæ*
„ *in homine eſt: Ergo debet at-*
„ *tendi penes naturam rationa-*
„ *lem, ut talis eſt: & e con-*
„ *trario, cum ratio bonitatis in*
„ *comuni reſpectu alterius conſi-*

„ *ſtat in aliqua convenientia ;*
„ *in hac convenientia ad na-*
„ *turam rationalem poſita erit*
„ *aliqua bonitas . Sed illa non*
„ *eſt utilitas , nec delectabilitas ,*
„ *ut per ſe conſtat . Ergo eſt*
„ *honeſtas . Unde etiam in aliis*
„ *rebus inferioribus bonitas , quæ*
„ *eſt per convenientiam ad na-*
„ *turam , eſt diſtincta a delecta-*
„ *bili , & utili , & lato modo*
„ *vocatur honeſtas : proprie ergo*
„ *talis erit , ſi ſumatur per con-*
„ *venientiam ad naturam ratio-*
„ *nalem , ut ſic „ .* Ib. n.11.

THESIS III.

„ HOneſtas objectiva interdum
„ fundatur in perfectione ,
„ & proprietatibus realibus , &
„ phyſicis ipſarum rerum „ . *Suar.*1.
2. *tr.*3. *diſp.*2. *Sect.*2.

„ *Conſtat exemplis : Nam Deus*
„ *per ſe eſt maximum bonum ,*
„ *ſolum ratione ſuæ perfectionis ,*

„ *& na-*

„ *& naturalis proprietatis. Si-*
„ *militer ſublevare miſeriam Pau-*
„ *peris, ſeu dare eleemoſynam,*
„ *eſt conſentaneum naturæ huma-*
„ *næ, quia per hanc reipſa ſub-*
„ *levatur neceſſitas Proximi, &*
„ *ſic de aliis. Ratio eſt, quia*
„ *quædam ſunt res per ſe, &*
„ *ratione ſuæ perfectionis entita-*
„ *tive conſentaneæ naturæ huma-*
„ *næ, vel quia ſunt ultimus finis*
„ *ejus, ut Deus; vel quia con-*
„ *jungunt hominem cum illo fine,*
„ *ut cognitio, vel Amor Dei; vel*
„ *quia ex ſe recte diſponunt homi-*
„ *nem in ordine ad talem finem,*
„ *vel remote ut Juſtitia &c. hinc*
„ *enim fit, ut tales res ſint pro-*
„ *portionatæ naturæ rationali,*
„ *quatenus capax eſt beatitudinis,*
„ *& ad illam inclinatur, & ideo*
„ *etiam actus tendens in talia*
„ *objecta, rectus dicetur, quia*
„ *per illum homo recte tendit in*
„ *finem ſibi debitum* „. Ib. n. 14.

THE-

THESIS IV.

„ INterdum hæc honeſtas objec-
„ torum moralium requirit ul-
„ terius proprietates morales or-
„ tas ex actibus humanis, ſeu li-
„ beris „. *Suar.* 1. 2. *tr.* 3. *diſp.* 2. *Sect.* 2.

„ *Conſtat etiam exemplis: Quia*
„ *reſtituere alienum eſt per ſe bo-*
„ *num, & conſentaneum homini:*
„ *quæ honeſtas non fundatur in*
„ *ſola phyſica entitate, vel per-*
„ *fectione. Nam eſſe propriam*
„ *rem, vel alienam, eſt proprie-*
„ *tas moralis, non phyſica, &*
„ *in illa fundatur prædicta ho-*
„ *neſtas. Idem eſt de hac deno-*
„ *minatione, quod* res ſit præce-
„ pta &c. *Ratio vero etiam eſt*
„ *facilis ex ſupradictis: quia*
„ *licet iſtæ proprietates nihil phy-*
„ *ſicum ponant in rebus præter*
„ *denominationem: tamen in or-*
„ *dine ad humanos uſus, vel*

„ *actus,*

Digitized by Google

„ *actus, ſunt magni momenti,*
„ *quatenus manent in æſtimatione*
„ *hominum, & juxta illam va-*
„ *riatur ordo ad rectam ratio-*
„ *nem, & ad convenientem uſum*
„ *rerum, & ſubordinationem in-*
„ *ferioris ad ſuperiorem, & ad*
„ *pacem, & debitam Societatem*
„ *hominum. Ob hanc enim cau-*
„ *ſam per ſe decens eſt, imple-*
„ *re promiſſionem, parere Supe-*
„ *riori, & unicuique ſervare jus*
„ *ſuum. Nam hinc etiam eſt,*
„ *quod una Voluntas poſſit eſſe*
„ *regula alterius, & habeat vim*
„ *inducendi obligationem, vel mo-*
„ *ralem neceſſitatem, & ſic de*
„ *ceteris proprietatibus morali-*
„ *bus: tamen in objecto Vo-*
„ *luntatis non requiritur major*
„ *realitas, ſeu entitas, quia in-*
„ *tentionaliter movet media co-*
„ *gnitione: & ideo ſatis eſt,*
„ *quod in rebus habeat ſufficiens*
„ *fundamentum ad variandam pru-*
„ *den-*

Digitized by Google

„ *dentem hominum exiſtimationem, & actionem* „ . Ib. n.14.

THESIS V.

„ Convenientia illa, quam „ Bonum honeſtum dicit ad „ naturam rationalem, præter rei „ entitatem, vel moralem proprie- „ tatem explicatam, nihil addit „ in ipſo objecto „. *Suar.* 1. 2. *tr.* 3. *diſp.* 2. *Sect.* 2.

„ *Probatur a ſufficienti enu- „ meratione: quia hæc convenien- „ tia non poteſt addere proprie- „ tatem aliquam, vel qualita- „ tem abſolutam, & realem; quia „ eadem res cum eiſdem proprie- „ tatibus abſolutis poteſt eſſe con- „ veniens uni, & non alteri; „ & deinde quia nec fingi, nec „ ſatis concipi poteſt talis res ab- „ ſoluta. Quod vero non ſit re- „ latio realis, patere poteſt, tum „ quia aliquod eſt bonum honeſ- „ tum, quod non eſt capax talis*

„ *re-*

Digitized by Google

„ *relationis*, *ut Deus*, *&* *Verbum Divinum reſpectu Humanitatis Chriſti: tum etiam quia eſto poſſit inſurgere talis relatio prædicamentalis*, *in intentione boni honeſti non intenditur talis relatio*. *Sicut etiam bonum delectabile fundatur in bono naturæ convenienti*, *ut ſic*, *ut late* Cajet. 1. 2. q. 32. ar. 1. *&* *tamen non fundatur in relatione: neque enim delectat relatio*, *ſed res ipſa accomodata naturæ*. *Denique relatio rationis proprie*, *&* *in rigore ſumpta jam etiam excluſa eſt*, *quia ſolum habet eſſe fictum*, *&* *cognitum per Intellectum*. *Ergo nihil ſupereſt*, *quod eſſe poſſit &c.* „ Ib. n 16.

THESIS VI.

„ Convenientia autem hæc connotat in homine naturalem aliquam inclinationem ad

„ ca-

„ capacitatem , ſeu conjunctionem „ cum illo objecto: ſeu (quod idem „ eſt) dicit denominationem ali- „ quo modo extrinſecam conſur- „ gentem ex coexiſtentia plurium „ rerum „ . *Suar.* 1. 2. *tr.* 3. *diſp.* 2. *Sect.* 2.

„ *Quando una & eadem res „ eſt bona uni ; & non alteri , „ ſemper inter priores intercedit „ aliqua realis connexio , ſeu ha- „ bitudo traſcendentalis , quæ non „ intercedit inter alios . Ut ſi ca- „ lor eſt bonus igni , & non aquæ , „ aliquam connexionem habet cum „ forma ignis , a qua reſultat ex „ natura rei , & ideo illa forma „ habet naturalem appetitum ad „ illam proprietatem , quæ non „ convenit formæ aquæ : Cum er- „ go dicitur calor conveniens igni , „ ſignificatur tota perfectio calo- „ ris , & connotatur illa natura- „ lis annexio , quæ eſt inter ca- „ lorem , & formam ignis . Sic*

„ *ergo*

Digitized by Google

„ *ergò in objecto honeſto, in primis requiritur, ut tale ſit: deinde connotatur aliqua connexio, quam habet cum natura rationali; & conſequenter in illa connotatur capacitas ad tale objectum. Ut in exemplis poſitis, Verbum divinum eſt maximum Bonum Humanitatis Chriſti, in quo ſignificatur, & perfectio Verbi divini, & conjunctio Humanitatis ad ipſum. Sic etiam Deus aliter eſt Bonum, & finis Hominis, & aliter lapidis: quia in eo eſt alia capacitas, quam ſit in lapide. Quod ergo Deus ſit homini conveniens, ſignificat in Deo perfectionem, & connotat in homine capacitatem. Convenientia ergo nihil aliud eſſe poteſt, quam denominatio orta ex hujuſmodi rebus, & earum coexiſtentia, ſeu connexione. Illud ergo objectum honeſtum eſt tale, quale*

„ *le exigit dignitas, ſeu capacitas naturæ humanæ ſecundum propriam inclinationem rationalem* „. Ib. n.16. 17.

§. I.

De bono honeſto reſpiciente mores.

EXpoſita jam actus moralis natura, progredimur ad *Honeſtatem* ipſam intime conſiderandam. Verum eſt hic operæ pretium, duo honeſtatis genera, ſeu duas boni honeſti ſpecies recte diſtinguere cum ipſo Suarez in *metaph. tom.*1. *diſp.*10. *ſect.*2. *a n.*11. Uno modo in ordine ad actiones morales humanas, prout recta ratione, & prudenti regulari poſſunt: & hoc bonum honeſtum dicitur, quod per ſe, & ex ſe decet hominem, vel perſonam ratione utentem, ut ſumitur ex *D. Th.*2. 2. *q.*145. *ar.*1. *& ſeq.* In hac vero acceptione non conſideratur aliqua commoditas, quæ ex tali bono accedat illi Perſonæ, reſpectu cujus dicitur illud bonum: hæc enim, licet ſæpe intercedat, per ſe tamen, ac formaliter non eſt ad honeſtatem neceſſaria; ſed ſufficit illa decentia, & proportio, quæ reperitur inter tale bonum, & Naturam, quæ operationes ſuas recta ratione dirigit. Sicut dare eleemoſynam eſt honeſtum, quia eſt per ſe conſentaneum naturæ rationali, etiam ſi per impoſſibile homo ſic operans nullam inde

inde utilitatem , vel commoditatem caperet , præter ipſum recte operari. Quomodo etiam reſpectu Dei dicitur eſſe conveniens , & honeſtum ſeſe comunicare, bene facere, & miſereri, non quia illi ſit commodum , ſed quia eſt per ſe decens , ac proportionatum illius bonitati. Bonum ergo honeſtum hac ratione explicatum dicit peculiarem rationem convenientiæ, & ex parte rei , quæ honeſta dicitur , includit perfectionem ejus cum omnibus conditionibus vel phyſicis, vel moralibus ad prædictam convenientiam cum natura rationali neceſſariis. In hac acceptione habemus *mali* naturam a D. Auguſt. *l. de nat. boni adverſ. Manich. c.*23 „ Malus modus, vel mala ſpe„ cies, vel malus ordo aut ideo dicuntur, „ quia minora ſunt, quam eſſe debuerunt, „ aut, quia non his rebus accommodantur, „ quibus accommodanda ſunt, ut ideo di„ cantur mala, quia ſunt aliena, & incon„ grua „. Et *lib.*2. *de mor. Manich.* „ Ma„ lum eſt, quod contra naturam eſt . . . „ ideſt ipſa inconvenientia, quæ ſine dubio „ non eſt ſubſtantia , ſed inimica ſubſtan„ tiæ „ Tum „ quatuor ipſa, quæ in prom„ ptu ſunt, elementa, quis dubitet prodeſ„ ſe per convenientiam, inconvenienter au„ tem adhibita vehementer adverſa eſſe na„ turæ „?

De

§. II.

De bono honeſto reſpiciente naturam.

ALio modo ſumi poteſt Bonum honeſtum, non in ordine ad mores, ſed in ordine ad naturam; & eſt illud, quod per ſe perficit naturam, & eſt commodum illi, etiam ſecluſa ratione virtutis, ut eſt Sanitas, Integritas, & Vita ipſa, quam interdum amare, vel tueri turpe eſt, etiam ſi ex ſe maxime conveniens naturæ videatur. Et hoc bonum videntur antiqui Philoſophi appellaſſe *Bonum naturæ*, quod diſtinguebant a bono honeſto, quod *per ſe decens* appellabant, ut colligitur ex *Cicer. libr.* 3. & 4. *de Fin.* Quia tamen bonum naturæ per ſe conveniens eſt, & amabile, ideo, ita cenſetur comparari appetitus naturæ ad hoc bonum, ſicut appetitus rationalis ad bonum per ſe decens; atque hac ratione in ordine ad naturam hoc bonum comprehenditur ſub bono honeſto. Accedit etiam, quod hæc ratio boni ſufficiens eſt, ut ipſum honeſte appetatur, ſi aliunde impedimentum aliquod non intercedat. Quia, cum recta ratio ſit, qua homo regi debet, aut gubernari, ad illam pertinet, ea, quæ ſunt naturæ commoda, & conſentanea, proponere: niſi aliunde aliquid obſtet, vel majus aliquod incommodum ſubſequatur. Hoc igitur modo loquendo de bono honeſto, concedendum eſt, potentias animæ eſſe quædam honeſta bona, non quidem eo modo, quo virtutes, quibus male uti non poſſumus,

Digitized by Google

mus, ſicut potentiis ipſis: propter quod ab Auguſtino hæc maxima, illa vero media bona eſſe dicuntur: ſed ea ratione, qua bona pertinentia ad integritatem, & complementum naturæ per ſe convenientia ſunt, & quantum ex ipſis eſt, recte amabilia: atque hoc modo ipſum eſſe, & vivere, & ſapere honeſta ſunt. Neque ſolum inhærentia bona, ſed etiam res extrinſecæ, quæ interdum ſunt per ſe convenientes, ſaltem ut objecta vitalium actuum, inter hæc bona honeſta computantur.

§. III.

Quo ſenſu utrumque bonum aliquando confunditur.

HInc intelligitur illa *Boni* diviſio in Morale, & Naturale. Illud nimirum, quod idem ſit, ac bonum honeſtum, quod per ſe decet, & eſt conſentaneum *naturæ rationali*, ut talis eſt: Hoc vero, quod per ſe eſt *cuicunque naturæ* conveniens. Atque hoc utique Ariſtot. definiit *Ethic. initio*: „id quod omnia appetunt„. Et quamvis Bonum morale dici etiam poteſt Bonum naturale, quia natura rationalis quædam natura eſt; adhuc nihilominus, quoniam natura ſumi poteſt duplici modo, & ut ſignificat eſſentiam rei, & ut dicit præterea modum operandi vel ex neceſſitate quadam, vel ex libertate; hinc fit, ut bonum reſpiciens quamlibet naturam τοῦ ὄντος ſecundum id, quod naturaliter eſt, vel naturaliter, & ex neceſſitate operari poteſt, ſeu

ex

ex impetu ſolo naturæ, dici ſoleat *bonum naturale* Bonum vero, quod eſt conſentaneum rei, ut elevatur ad modum operandi libere, quod propriiſſime competit naturæ, ut rationalis eſt, dicatur *Bonum morale*: licet etiam late ſumpto vocabulo poſſit appellari bonum *naturale*. Atque inde fit etiam, ut Bonum hoc morale præcipue conſiſtat in operatione libera: conveniat autem proprio Objecto ejus, quatenus honeſtum eſt, & Virtuti, quæ eſt principium ejus: quemadmodum dixit Ariſt. 2. Eth. c. 6. „ Virtutem eſſe, quæ bonum facit habentem, „ & opus ejus bonum reddit „. Bonum itaque naturale ab Honeſtate præſcindit: ſecus vero Bonum morale:

§. IV.

Wolfii ſententia de actuum humanorum honeſtate explicatur.

HIs jam conſtitutis, clare patet, quam turpiter fuerit hallucinatus Wolfius in ſtatuenda Theoria actionum humanarum, omniſque Juris naturalis, prout habetur in *Phil. pract. Univerſ. demonſtrata methodo geometrica*. Siquidem ut conſtituat honeſtatem actuum liberorum hæc ponit theoremata *a* §. 49. ad 55. &c. „ Actiones liberæ „ bonæ per eaſdem rationes finales determi„ nantur, per quas determinantur natura„ les; malæ autem per diverſas. Si actio„ nes liberæ per eaſdem rationes finales de„ terminantur, per quas determinantur na„ turales, bonæ ſunt; ſi vero determinan„ tur

„ tur per diverſas, malæ ſunt „. Hoc principium appellat ipſe *Fæcundiſſimum in Philoſophia practica*, utpote cui reliqua innituntur ab ipſo poſita legis naturalis principia. Nam §.179. expreſſe habet: „ Determinatio actionum liberarum per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, eſt principium cognoſcendi legum naturalium, omniſque Juris naturalis „. Et ſupra §.154. dixerat: „ Lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, ſeu ad non determinandum per diverſas „ Unde infert §. ſequenti. „ Qui actiones ſuas determinat per eaſdem rationes finales, per quas naturales determinantur, legem naturæ ſervat; qui vero eas determinat per rationes diverſas ab iis, per quas determinantur naturales legem naturæ tranſgreditur.

Ex quibus patet, totam honeſtatis vim a Wolfio reponi in conformatione actionis liberæ cum ratione finali, determinante actionem naturalem. Sed quænam eſſe debent rationes finales, ſeu quinam eſſe debet Wolfio finis determinans actionem naturalem? Non alius profecto, niſi finis a Deo intentus: ſic enim habet & in *Theol. nat. part.* 1. *cap.* 4. §.648. & in Phil. pract. §.46. Quinam vero ſint fines rerum naturalium a Deo intenti; habemus §. 46. „ Uſus facultatum animæ, & organorum Corpo-

„ ris

„ ris ſunt fines a Deo intenti : etenim Uſus „ rerum naturalium omnium ſunt fines a „ Deo intenti . Quoniam igitur in harum „ numero etiam ſunt facultates Animæ , & „ organa corporis humani : quin eorumdem „ quoque uſus ſint fines a Deo intenti , du„ bitari nequit „ . Jam vero quinam ſunt uſus , quos habent , vel ſingillatim , vel conjunctim organa Corporis , & facultates animæ ? En §.45. „ Senſus hunc habent uſum , „ ut eorum quæ ſunt , ac fiunt in univer„ ſo , cognitionem acquiramus . Quod ſi „ igitur agimus quidpiam , ut cognitionem „ cujuſdam , quod in univerſo eſt , vel con„ tingit , nobis acquiramus ſenſu duce ; co„ gnitio iſta finis eſt , quem intendimus . „ Similiter organa vitalia ſimul ſumpta hunc „ habent uſum , ut eorum functionibus vita „ conſervetur . Quando igitur vitæ conſer„ vandæ gratia quid agimus , & functiones „ organorum vitalium eo dirigimus ; con„ ſervatio vitæ finis noſtræ actionis eſt . „ Qui uſus eſt ex parte rei , veluti ex par„ te ſenſuum , & organorum vitalium ; finis „ eſt ex parte agentis , qui libera Volunta„ tis determinatione uſus iſtius compos fie„ ri deſiderat „ . Verum finis a Deo intentus eſtne Wolfio uſus prædictus ſenſuum Corporis , & Animæ facultatum ? En clariſſime §.46. „ Cognitio eorum , quæ ſunt , „ ac fiunt in Univerſo , ſibi acquirenda , & „ conſervatio Corporis ſunt fines , quos Deus „ intendit , dum hominem produxit , cui „ inſunt ſenſus , & organa ſenſoria , atque

„ vita-

„ vitalia „. Unde ſtatuit veluti colligendo ex ſupradictis Wolfius §.47. „ Si agens ideo „ agit, ut eum, quem habere poſſunt, uſum „ facultates Animæ, & organa Corporis ac- „ tu conſequatur, actiones liberæ per eaſ- „ dem rationes finales determinantur, per „ quas determinantur naturales : ſi vero „ quid ab eo diverſum intendit, actiones „ liberæ determinantur per rationes finales „ diverſas ab iis, per quas determinantur „ naturales.

§. V.

Wolfii theoria de Honeſtate actuum humanorum impugnatur.

EX quibus infertur, non aliam ſtatui a Wolfio honeſtatis regulam in actionibus liberis, niſi ductam ab uſu ſenſuum Corporis, & facultatum Animæ, quæ reſpiciat Vitæ conſervationem. Sed quid agendum erit, quoties uſus Organorum Corporis, & Animæ facultatum ſint legi divinæ diſſormes? Erunt ne in caſu illo fines a Deo intenti? Rurſus cum uſus, & finis omnium Organorum Corporis, & facultatum Animæ ſit Vitæ conſervatio: ſequitur inde, nihil fore inhoneſtum, quod ad Vitæ conſervationem faciat. Excuſabitur proinde turpiſſimum Amnonis facinus *l.2. Reg. cap.13.*? Nec vera loquetur Auguſtinus *tr.51. in Jo:* quod præſtet aliquando: „ Deo dilecto emo- „ ri, quam contempto vivere „. *& lib.19. de Civ. c.3. &* 13. „ quoniam Animi æqui- „ tas, & corporis ſalus, utrumque bonum

 „ eſt,

„ eſt, bonique amiſſione dolendum eſt po-
„ tius, quam lætandum, ſi tamen non ſit
„ compenſatio melioris: melior eſt autem
„ Animi æquitas, quam Corporis ſanitas.
„ Hinc eſt, quod virtus, ideſt ars regen-
„ dæ vitæ, quædam minora, ſi neceſſitas
„ poſtulet, propter majora vel adipiſcenda,
„ vel tenenda contemnat. Omnium autem
„ bonorum vel Animi, vel Corporis nihil
„ ſibi virtus omnino præponit „. Anne Wolfius honeſtatis regulam *in Uſu*, non quocumque, ſed *bono* Organorum Corporis, & Animæ facultatum repoſuit? Sed qui hic Wolfium defenderet, hominem repræſentaret non ingenioſum quidem, & principia moralitatis geometrice pertractantem, ſed valde craſſum, & rudem, eumque ineptiſſime de principiis hiſce agentem exhiberet. Siquidem Wolfii longiſſimum Syſtema huc tandem evaderet: Eas eſſe *actiones honeſtas*, quas agens operatur *uſu bono* Organorum Corporis, Animæque facultatum; eas vero eſſe *inhoneſtas*, quas uſu *malo* efficiet. Uno verbo: *Bona actio* eſt, *bonus uſus*, *mala actio eſt malus uſus*: quo quid ineptius? Haud ita ſane Wolfium intellexit Jo: Juſtinus Schierſchmidius Lipſienſis in præcognitis Juris Civilis Neapoli editis an. 1756. *tom.* 2. Juriſprudentiæ Juvenilis, ubi Wolfianum Siſtema propugnans ipſo fatente, ait §. 18. „ Natura nos obligat, ut ea faciamus,
„ quæ animam, & Corpus perficiunt „. Sed Vox hæc *perficere* explicatione indiget etiam penes Wolfium; ſubdit vero §. 21. „ Status ex-

„ externus perficitur comparatione honoris, „ jucunditatis, & rerum externarum. Natura obligamur ad comparationem honoris, jucunditatis, rerum externarum „. En quæ dicitur Wolfio Animæ, & Corporis perfectio, ad quam natura obligamur. Scilicet perfectio boni mere naturalis, quæ quidem, aliquo intercedente impedimento, non omittenda modo, ſed & eſt ſugienda. Unde patet, aliunde eſſe eruendam veræ honeſtatis regulam, quam a ſimplici natura.

§. VI.
Impium Spinoſæ Syſtema de Regula Honeſtatis.

REjecto Wolfii Syſtemate, utpote quod corollaria inferat ſatis perniciosa, horret animus, illa referre impia Syſtemata, quæ Hobbeſius, & Spinoſa, monſtruoſa ſcilicet ingenia, excogitarunt. Et quidem Benedictus Spinoſa in tract. theologico-polit. *c.*16. & *P.*4. Ethices docet *prop.*18. *in Schol.* „ Hoc principium, quod unuſquiſque ſuum „ utile quærere tenetur, Virtutis, & Pietatis eſt fundamentum „. Et *prop.*45. *in Schol.* has evomit horrendas blaſphemias: „ Nihil, niſi torva, & triſtis ſuperſtitio, delectari prohibet. Nam qui magis decet „ famem, & ſitim extinguere, quam malancholiam expellere? Mea hæc eſt ratio, & ſic animum induxi meum. Nullum Numen, nec alius, niſi invidus, mea „ impotentia, & incommodo delectatur „

 „ nec

„ nec nobis lacrimas, ſingultum, metum, „ & alia hujuſmodi, quæ Animi impotentis ſunt ſigna, virtuti ducit, ſed contra, „ quo majore lætitia afficimur, eo ad *majorem perfectionem* tranſimus, hoc eſt, eo „ magis de natura divina participare neceſſe eſt. *Rebus itaque uti*, & iis, quando fieri poteſt, *delectari*, (non quidem „ ad nauſeam uſque; nam hoc delectari „ non eſt) Viri eſt ſapientis; Viri, inquam, Sapientis eſt, moderato, ac ſuavi cibo, & potu ſe reficere, & recreare, „ ut & odoribus, plantarum virentium amœnitate, ornatu, muſica, ludis exercitatoriis, theatris, & aliis hujuſmodi, quibus unuſquiſque abſque ullo alterius damno uti poteſt. Corpus namque humanum ex plurimis diverſæ naturæ partibus „ componitur, quæ continuo novo alimento indigent, & vario, ut totum Corpus „ ad omnia, quæ ex ipſius natura ſequi poſſunt, æque aptum ſit, & conſequenter, „ ut Mens etiam apta ſit ad plura ſimul „ intelligendum. Hoc itaque vivendi inſtitutum & cum noſtris principiis, & cum „ communi praxi optime convenit: quare, ſi qua alia, *hæc vivendi ratio optima eſt*, & omnibus modis commendanda; nec opus eſt de his clarius, ac prolixius agere „. Nimirum optimum perfectionis genus, & optima vivendi ratio eſt rebus uti, & iis delectari non ad nauſeam, nec cum alterius detrimento. Hoc utique de

de Epicureorum grege Spinoſa, cum Horatio *l.*1. *Satyr.*3. inclamat

„ Sola eſt utilitas Juſti prope Mater,
& Æqui „

Et juxta vetus adagium ab Epicureis exceptum

„ Omne juvans ſtatuit Jupiter eſſe pium „

§. VII.

Non minus abſona Hobbeſii Principia exploduntur.

NOn diſſimilia habet Thomas Hobbes in ſuo libro *Leviathan* ſeu de Republica, & in lib. *De Cive*, ubi Honeſtum ab Utilitate tantum metitur, & a Voluptate. *Cap.*15. ſui *Leviath.* ait: „ Fundamentum „ omnium Legum naturalium Naturæ eſt „ conſervatio „ *& c.*27. „ Siquis tamen bo- „ na, Servos, Uxorem videns proximi ſui, „ frui illis cum delectatione imaginatus tan- „ tum fuerit, abſque omni intentione, vel „ conſilio per fraudem, aut vim ea occu- „ pandi, peccatum non eſt, neque præcep- „ ti *non concupiſces* violatio. Nam jucun- „ di etiam imaginatione delectari ita ho- „ mini naturale eſt, ut Lex, quæ id pro- „ hiberet, etiam hominem eſſe prohiberet „ En Epicurei lutulentas propoſitiones, quas quidem vel ipſi Heterodoxi refutarunt, & inter ceteros Richardus Cumberlandus Anglus *Tract. Philoſ. Leg. nat.*

§. VIII.

Contra Puſendorfium Grotius defenditur.

VIdimus Præceptoris dogmata: expendamus Diſcipuli ejus, quemadmodum appellat Maſcovius, Puſendorfii ſcilicet hac in re opinionem. Diſplicet Puſendorfio, aliquam admittere honeſtatis regulam a lege independentem. Quare duo ſæpiſſime confundit: *rem* ſcilicet *poſſe licite fieri*, *rem debere ex lege fieri*: quæ quidem diſtingui optime poſſunt: & idcirco ineptiſſime Grotium confutat *l.* 2. *c.* 3. §. 19. De J. N. & G. „ Neque enim adſtipulari poſſumus Grotio, „ qui in Prolegomenis autumat, jura natu„ ralia locum aliquem habitura, etiamſi da„ remus, quod ſine ſummo ſcelere dari ne„ quit, non eſſe Deum, aut non curari ab „ eo negotia humana. Nam ſi vel maxime „ quis impiam iſtam, & abſurdam hypo„ theſim fingeret, ac genus humanum ex „ ſe ſcilicet ortum conciperet; iſta tamen „ rationis dictata tunc nullo modo poſſent „ habere vim legis „. At vero ut notat *loc. cit.* Maſcovius ad verba Puſendorfii. „ Gro„ tius nihil aliud monere voluit, quam Præ„ cepta Juris Naturæ ita niti indole, & „ natura generis humani; ut & Atheo con„ ſtare poſſit, è re ipſius eſſe, facere juſta, „ omittere injuſta „. Itaque *non de lege obligante*, ſed de Fundamento honeſtatis Grotius loquebatur.

Pu-

§. IX.

Puſendorfii ſententia de lege, honeſtatis regula.

ADvertit nihilominus Puſendorfius, aliquid dari in natura ipſa, unde talem homini legem Deus deſtinaverit: Ait propterea *loc. cit.* §.14. „ Nos noſcere legem „ naturalem, ſi naturam ipſam humanam, „ conditiones, inclinationeſque accuratius „ contemplemur, & etiam alia, quæ ex„ tra hominem ſunt, & in primis ea, „ quæ ad commodum, aut incommodum „ eidem conciliandum apta ſunt „: At vero lex hæc libere a Deo homini poſita eſt: ſiquidem libere Deus ſe determinavit ad hominis felicitatem volendam; & „ Legis ob„ ſervatio ad naturam, & conditionem ho„ minis ita quadrat; ut ex illa hujus in„ columitas, & felicitas: ſicuti ex ejuſdem „ neglectu calamitas, miſeria, & deſtruc„ tio dependeat „. *Sic in Specim. Controv. c.*5. §.6. Quare natura humana fundat convenientiam aliquam ad talem legem habendam, quatenus ex tali lege oritur ejus felicitas; nobis autem de tali lege conſtare ait Puſend. quia ſcimus, Deum humanæ naturæ voluiſſe felicitatem.

§. X.

Manifeſti errores Pufendorfii quoad Vulgi inſtitutionem.

QUid autem Vulgus efficiet, qui talia ſe a Deo habere ignorat? Reponit *l.*2. *c.*3. §.13. De J. N. & G. „ Vulgus „ legem naturæ ex populari informatione, „ uſuque publico haurire ſolet: eique ad „ ejuſdem certitudinem ſatis eſſe debet auc- „ toritas Superiorum, qui illam in Civi- „ tatibus exerceri curant; & quod ipſi ra- „ tiones probabiles deſint, quibus ejuſdem „ veritas labefactari, aut convelli poſſit, & „ quod præſentem ipſius utilitatem quotidie „ deprehendit „. Oh pulcherrimi Juris naturalis fontes! *Uſus aliorum, & propria utilitas*. Quid? Si Uſus, prout contingit, frequentior ſit de inhoneſtis patrandis, & Utilitas ſenſu duce addiſcatur? Profecto non hominum erit Societas, ſed beſtiarum. At unde oritur, *quod in pueris, & rudi Vulgo magna deprehenditur facilitas æquum ab iniquo diſcernendi*? Sic ſibi veluti objicit *loc. cit.* Puſend., & reſpondet illico ibidem „ Id ex adſuetudine provenit: dum a te- „ neris annis, & ſtatim atque uſum aliquem „ rationis exſerunt, vident bona probari, „ mala improbari, & illa laudem, hæc pæ- „ nam ſequi. Quorum quotidianum exer- „ citium, & totius vitæ communis com- „ pages ad iſtum modum digeſta, ita ani- „ mos diſponit; ut paucis dubitare ſuccur- „ rat, an aliter iſta fieri poſſint „. Quam egre-

egregie nodum ſolvit Puſendorſius! Reſolutio tamen iſta adeo vel ipſis Proteſtantibus diſplicuit; ut Ulricus Hubero, ap. Maſcov. hic, *part.2. digreſ. l.1. c.5. §.6.* cenſeat ſententiam hanc Puſendorſii inutilem, atque erroneam: inutilem quidem, quod reddat hominem contra dictamen rationis operantem minus ἀναπολόγητον (inexcuſabilem), ſi copiam Inſtitutionis non habuerit: Erroneam, quia ſacris litteris, & experientiæ repugnat. Nam Paulus *ad Rom.*2. 14 ait: „ Gentes, quæ legem non habent, natura, „ quæ legis ſunt, faciunt „ nec ait ex aliorum inſtitutione; & alibi ἁυτὴ ἡ φύσις διδάσκει, ipſa Natura docet. Rurſus experientia habemus, quemlibet ſeipſum conſiderantem aliquod interius principium ſentire; unde negandum non eſt, hominem inter homines agentem, ſuo ingenio, citra aliorum inſtitutionem, quod Juris Naturæ ſit, poſſe cognoſcere. Non innaſcuntur quidem menti Juris Naturalis præcepta ad modum diſtinctorum, & actualium principiorum: rurſus fatendum eſt, bonam educationem, & formationem ad excitandos Juris in natura poſiti igniculos, & in alteram partem corruptelas morum ad extinguendos illos multum poſſe. Hæc, & ſimilia ſubdit citatus Auctor, qui nimirum bene expendit, quanto ſit detrimento principia honeſtatis in Fidem humanam, hominumque Conſuetudinem refundere.

Digitized by Google

§. XI.

Aliquorum Catbolicorum ſententia explicatur, & noſtra ex Auguſtino aſſeritur.

SUnt e Catholicis Scriptoribus nonnulli, qui primam honeſtatis regulam in ſolam divinam Voluntatem referunt. Sic nuperrime Nicolaus Ghezzi *tom.2. Princip. moral. Phil. dial.2.* Opinionem hanc tuetur. Verum ne Logomachia committatur, peto: vel regula honeſtatis eſt divina Voluntas abſolute libera, vel divina Voluntas veluti determinata: ſi primum; poterit ergo honeſtum fieri, quod eſt abſolute inhoneſtum, & ſic odium Dei, blaſphemia, & ſimiles actus eſſe poſſent honeſti: ut ſupra diximus contra Puſendorfium. Si ſecundum, quod reipſa admittit Ghezzi cum aliis; ergo dari debet in priori ad actum Voluntatis divinæ fundamentum aliquod hujus intrinſecæ honeſtatis, vel inhoneſtatis, quod ſit independens ab ipſa divina Voluntate. Quomodo autem explicentur exempla nonnulla, quæ afferuntur, de divina diſpenſatione in iis, quæ videntur intrinſece honeſta, vel inhoneſta, dicemus infra. Ceterum dari debere apud nos diſtinctam aliquam honeſtatis regulam a divina voluntate, patet ex illo Aug. *c.101. Enchir.* „ Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus „ non vult, etiam ipſe bona multo amplius, multoque certius voluntate: nam „ illius mala Voluntas eſſe nunquam poteſt. Tanquam ſi bonus Filius Patrem

„ velit

„ velit vivere, quem Deus bona Volunta-
„ te vult mori. Et rurſus fieri poteſt, ut
„ hoc velit homo Voluntate mala, quod
„ Deus vult bona: velut ſi malus filius ve-
„ lit mori Patrem, velit hoc etiam Deus.
„ Nempe ille vult, quod non vult Deus,
„ iſte vero id vult, quod vult & Deus; &
„ tamen bonæ Voluntati Dei Pietas illius
„ potius conſonat, quamvis aliud volentis,
„ quam hujus idem volentis impietas. Tan-
„ tum intereſt quid velle homini, quid
„ Deo congruat, & ad quem finem ſuam
„ quiſque referat voluntatem, ut aut appro-
„ betur, aut improbetur.

§. XII.

An idem ſit conveniens naturæ rationali, ac conforme rectæ rationi?

UT igitur ad Suarezium redeamus, expendi poteſt, an idem omnino ſit, eſſe conveniens Naturæ rationali, ac eſſe conforme rectæ Rationi? Sane ex ipſius Suarezii mente eadem res eſt, ſed non idem reſpectus. Siquidem convenientia ad naturam rationalem non reſpicit dictamen rationis, ſed naturam ipſam ſecundum ſe: Ratio autem ſolum applicat, & proponit, quod naturæ conveniat. Et ſi quando eſt dictamen rectum, res ipſa debet ita convenire, ſicuti judicatur: non autem ideo convenit, quia convenire judicatur; ſed judicatur convenire, quia revera naturæ ipſi rationali convenit. Juvat autem hic explica-

tio-

tionem ulteriorem hujus convenientiæ a Petavio *theol. dogm. tom.* 1. *lib.*6. *c.*1.*n.*5. mutuare: „ Quæ boni propria eſt congruentia, „ ad uſum quemdam, ac fructum, ſive commodum refertur: eoque modo non aliis „ tantummodo, ſed ſibi etiam Deus ipſi bonus eſt, quia ſibi maxime convenit, & „ eo ipſo eſt amabilis. Siquidem reipſa ſe „ amat; & amat ideo, quia bonus eſt: „ hoc eſt ſibi convenit, & ad fruendum eſt „ aptiſſimus, atque in ſe acquieſcit uno „. Hoc ſi *naturæ rationali* aptaveris habebis boni honeſti notionem.

§. XIII.

Argumenta Puſendorſii reſolvuntur.

CONtra has Suarezii propoſitiones infirmiſſima ſunt, quæ objiciuntur. Puſendorfius de J. N. & G. *l.*2. *c.*3. §.13. hoc exhibet argumentum: Poſita pro norma honeſtatis convenientia prædicta „ vel maxime ſic argumentor: Hæc actio congruit „ cum excellentia, & dignitate hominis: „ ergo eſt honeſta, & ideo facienda. Nondum adeptus ſum liquidam, & diſtinctam ſcientiam, cui mens mea firmiter „ queat adquieſcere; ſed in obſcuro adhuc „ eſt, & in quonam illa excellentia conſiſtat, & quæ cauſa ſit, cur ea homini „ competat? Siquis Sacerdoti dicat: non „ decet te in ganeis, & popinis volutari, „ quia hoc repugnat dignitati Sacerdotis: „ verum quidem dicit, ſed non ideo ulti-

„ mam

„ mam rationem, & poſt quam dubio non „ amplius locus ſit, expreſſit „. Hæc quidem Puſendorfius & aliquo modo ad rigorem ſcholaſticum. Sed ſi ſemel aliquando ad naturam rationalem advertimus ex una parte, & ex alia ad naturam & proprietates objecti ipſius, vel actus ipſius moralis: & inter utramque convenientia quædam advertitur modo explicato, jam habebimus de honeſtate actionis optimam ſcientiam. Quærere autem, *in quonam illa naturæ humanæ excellentia conſiſtat*, & *cauſam*, cur ea *actio homini competat*, eſt quærere naturam ipſam hominis, & actionis; de qua nequit dari ratio ulla a priori, ut inter Philoſophos conſtat. Exemplum de Sacerdotis dignitate an bene poſſit ad naturam intrinſecam rerum aptari, videant boni Philoſophi.

Nec firmiora ſunt, quæ objicit ipſe Puſend. in ſpecim. Controv. *c*.5. §.15. & 16. ut nimirum intrinſecam rei honeſtatem auferat. „ *Improbe* Deum cum Creatura pari „ paſſu ambulare dicitur, dum dicitur: „ quodvis ens intelligens, ſive Deus ſit, „ ſive Creatura, recte judicat, actum gra„ titudinis eſſe honeſtum, quia in ſe, & „ antecedenter ad rectum judicium talis eſt. „ Nam de Creatura hoc vere aſſeritur; ſed „ dicere, aliquid ſe antecedenter habere ad „ rectum judicium Dei, eſt a creatione „ iſtius ipſum excludere „. Hic vero ad *improbitatem* iſtam tollendam, peto: vel ſermo eſt de Judicio divini Intellectus; & nul-

nullum eſt abſurdum dicere, antecedenter ratione ad divinum Judicium, actum eſſe honeſtum: non enim ideo actus eſt honeſtus, quia divinus Intellectus ita judicat; ſed e converſo, ideo judicatur a divino Intellectu honeſtus, quia revera eſt honeſtus. Si de actu humano honeſto ſermo ſit; & hujus actus honeſtas quamvis non concipiatur antecedenter ad naturam ipſam rationalem; adhuc, poſito quod rerum eſſentiæ cognoſcantur a divino Intellectu, prout ſunt in ſeipſis, & divinus Intellectus eas repræſentat; ſequitur, convenientiam iſtam inter binas illas naturas conſurgere antecedenter ad divinum Intellectum modo explicato: neque enim ideo binæ illæ naturæ congruunt, quia divinus intellectus ita judicat; ſed e contrario.

Quare riſum movet Puſendorfius, ubi ſubdit „ ſic actum a creatione Dei excludi „ quod quidem repetit §.16. „ Si moralitas „ actionum humanarum, earumque habi„ tudo, & Convenientia cum conditione, „ & natura humana non eſt a divina im„ poſitione; cum eadem non poſſit eſſe a „ ſe ipſa, neceſſum eſſe, ut ſit a princi„ pio aliquo extra Deum „ & infra „. Ha„ bilitas actionum, ſecundum quam neceſ„ ſario cum lege naturæ conveniunt, aut „ diſconveniunt, non pendet ab aſſigna„ tione, & diſpoſitione Dei. Quis ergo alius „ præter Deum naturas rerum formavit? „ Aut num ipſæ ſeſe tali modo effinxerunt? „ Nimirum id agi adparet, ut munere Crea„ to-

Digitized by Google

„ toris Deus dimoveatur, & res etiam quoad „ eſſentiam a Deo dependere negentur „. Quam male ſic Puſendorfius confundit, quæ ad divinum Intellectum ſpectant, & quæ ad divinam Voluntatem! Creare res, eſt divinæ Voluntatis libere decernentis exiſtentiam rerum: quod quidem decretum ab Intellectu divino, poſſibilia omnia, eorumque naturas repræſentante, dirigitur. Nihil igitur, quod actualem habet exiſtentiam, a divina creatione excluditur. Verum naturæ rerum ſunt neceſſariæ, nec a Voluntate divina pendere citra abſurdum concipiuntur; & Intellectus divinus eas neceſſario cognoſcit *prout ſunt in ſe*, ſeu *prout eſſent, ſi a divina Voluntate daretur illis exiſtentia*: hoc enim dicit illud, *eſſe cognitum a divino Intellectu*. Hæc autem neceſſitas quoad divinum Intellectum, ait Suarez De Leg. *l*.2. *c*.15. *n*.12. „ nullum infert in„ conveniens; nam de omni veritate ne„ ceſſaria neceſſarium habet judicium, ſive „ ſit de re increata, ſive de creata, ſive „ ſpeculativa, ſive practica, ſeu operabili „ ab homine. Quod vero pertinet ad Vo„ luntarium Dei, ſi ſit ſermo de ſimplici „ affectu complacentiæ, vel diſplicentiæ; „ etiam hunc poteſt Deus *neceſſario* habere „ circa illud, quod judicat eſſe per ſe bo„ num, aut per ſe malum; maxime ſup„ poſita Voluntate libera, quam habet „ creandi hominem.

Et idcirco male ratiocinatur Puſendorfius ibidem. „ Sane judicio Dei, ſi ita loqui fas „ eſt,

„ eſt, natura & conditio hominis ita for-
„ mata eſt, ut verbi gratia Gratitudo ipſi
„ omnino conveniret. Ergo illa non ma-
„ gis antecedenter ſe ad Judicium Dei ha-
„ bet, quam proportio, & diſpoſitio par-
„ tium ædificii ad judicium Architecti, aut
„ capacitas, & figura ollæ ad judicium fi-
„ guli „ male, inquam, ratiocinatur, cum
a re neceſſaria ad mere contingentem procedat diſcurſus.

§. XIV.

Veterum Philoſophorum de interna actuum honeſtate ſententia.

INternam hanc in actibus humanis honeſtatem agnoviſſe viſi ſunt ſapientiores Græci, & Philoſophi ethnici. Sic Ariſtot. *l.* 3. *Etihc. c* 5. naturali vi Ingenii tribuit non minus vera judicare, quam bona amplecti.
„ Is demum bene natus, & bene animo
„ conſtitutus, cui hoc munus a natura da-
„ tum eſt, ut quaſi aſpectum quemdam ha-
„ beat, quo vere judicat, atque id, quod
„ vere bonum eſt, ſequitur „ Iſocratis etiam pulcherrimum, idque notiſſimum erat effatum. „ Omnino non ſperandum, ſi quid
„ turpe feceris, te latiturum. Quamvis
„ enim lateas alios, tu tamen tibi ma-
„ li conſcius eris „. Quod quidem cum illo Juvenalis Satyr. 13. conſonat.

„ Exemplo quodcunque malo commit-
„ titur, ipſi

„ Diſ-

„ Diſplicet auctori; prima eſt hæc ul-
„ tio, quod ſe
„ Judice nemo nocens abſolvitur; im-
„ proba quamvis
„ Gratia fallacis Prætoris vicerit Ur-
„ nam.

Et Perſii Sat. 5.

„ Stat contra Ratio, & ſecretam gan-
„ nit in aurem,
„ Ne liceat facere id, quod quis vi-
„ tiabit agendo „.

Atque principium hoc honeſtatis adeo ſibi intimum arbitrabantur ethnici Philoſophi, ut Tullius aſſeruerit *l.* 1. de Leg. „ Si omnes Athe- „ nienſes delectarentur tyrannicis legibus, „ num idcirco hæ leges juſtæ haberentur? „ Rurſus bonitatem ipſam legis ad internam hanc conformitatem revocat, ut illam examinet *l.* 1. de leg. „ Nos legem bonam a „ mala nulla alia, niſi naturæ norma di- „ videre poſſumus: nec ſolum Jus, & In- „ juria natura dijudicatur, ſed omnino *omnia* „ *honeſta*, ac *turpia*: Nam & communis „ intelligentia nobis notas res efficit, ea- „ que in animis noſtris inchoavit, ut ho- „ neſta in virtute ponantur, in vitiis tur- „ pia. *Hæc autem in opinione exiſtimare*, „ *non in natura poſita, vere dementis eſt* „. Quinimmo de virtute ipſa differens paullo „ poſt ſubdit, non ad extrinſecum aliquod judicium, ſed ad naturam ipſam eſſe confugiendum. „ Eſt enim virtus perfecta Ra- „ tio: quod certe in natura eſt. Igitur omnis „ honeſtas eodem modo. Nam ut vera, & „ fal-

„ falſa, ut conſequentia, & contraria ſua „ ſponte, non aliena judicantur; ſic con- „ ſtans, & perpetua ratio vitæ, quæ eſt „ virtus, itemque inconſtantia, quod eſt „ vitium, ſua natura probatur „. Tota itaque regula honeſtatis a natura, & quidem ut ratione prædita, eſt repetenda: Quod aperte etiam innuit *l.* 1. de offic: „ Nec vero illa „ parva vis *Naturæ* eſt, *Rationiſque*, quod „ ſentit, qui ſit ordo, quid ſit quod de- „ ceat in factis, dictiſque; nequid libidi- „ noſe, aut faciat, aut cogitet: quibus ex „ rebus conficitur honeſtum, quod etiamſi „ nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit; „ quodque vere dicimus, etiamſi a nullo „ laudetur, laudabile eſſe natura „. Quibus clariſſimis Philoſophorum ethnicorum poſitis teſtimoniis, non video, quomodo Puſendorfius, qui totus ceteroqui eſt in educendis illorum auctoritatibus, ſuſtineat, honeſtatem non eſſe rei ipſi intrinſecam, & aliunde quam a conformitate cum rationali natura eſſe petendam?

CAPUT QUINTUM

De lege in genere

THESIS.

„ LEx eſt commune præceptum, „ juſtum, ac ſtabile ſufficien- „ ter promulgatum „. *De Leg. l* 1. c. 12.

„ *Il-*

„ *Illud genus poſuit etiam*
„ *D.Thomas q.96. ar.1. ad 2. & Ju-*
„ *reconſult. l.1. de Leg. & per il-*
„ *lud excluduntur præcepta parti-*
„ *cularia: Per alias vero parti-*
„ *culas indicantur omnia, quæ in*
„ *lege deſiderari poſſunt: ut faci-*
„ *le patet conſideranti* „ n.5.

§. I.

Quomodo lex differat a præcepto.

D. Thomæ doctrina de Lege *q.91. ar.4.* eſt. „ Lex eſt ordinatio rationis ad bo-
„ num commune ab eo, qui curam com-
„ munitatis habet, promulgata „. Verum obſtare huic definitioni, ait Suarez *loc. cit.* quia poteſt Prælatus ordinare Subditos ſecundum rectam rationem ad aliquid agendum, ſufficienter proponendo communitati voluntatem ſuam, & nihilominus non ferre Legem: quia non includit præceptum ſtabile, & perpetuum, quod requiritur ad rationem legis, ex ratione communitatis, cui fertur; (communitas autem eſt perpetua); & ex ratione Legiſlatoris ferentis legem proſpiciendo ad futura: unde poſteros etiam obligare intendit. Quare ſi ad certum tempus indicatur, erit potius quoddam Præceptum, quam Lex. Hic autem eſt advertendum, diſcrimen hoc inter Legem, & Præceptum intelligi *prout com-*

muni-

muniter fieri ſolet, & res exigit ipſa: nam aliquando per accidens, & ex poſitiva Voluntate Superioris fieri poteſt, ut Præceptum evadat ſtabile, ac perſeverans poſt mortem etiam Superioris ferentis illud: quemadmodum ſtatutum eſt in noſtra Societate Jeſu *Ex Congr. VII. Can.* 10. *Et Congr. IX. Decr.* 12. *Can.* 4.

§. II.

Puſendorſiana legis definitio excluditur.

PUſendorfius de Jure Naturæ & Gentium *l.* 1. *c.* 6. §. 4. legem definit ſic. „ In „ genere autem Lex commodiſſime videtur „ definiri per Decretum, quo Superior ſibi „ ſubjectum obligat, ut ad illius præſcrip- „ tum actiones ſuas componat „. Verum juxta hanc definitionem etiam iniqua Superioris alicujus decreta, dici deberent Leges, quod quidem & Philoſophorum etiam ethnicorum ſententiis, & rectæ rationi diſſonum eſt. Cicero de Leg. *l.* 2. ait „ Neceſſe „ eſt igitur, legem haberi in rebus optimis. „ Prorſus aſſentior. Quid? quod multa perni- „ cioſa, multa peſtifera ſciſcuntur in Popu- „ lis, quæ non magis legis nomen attin- „ gunt, quam ſi latrones aliquas conceſſu „ ſuo ſanxerint? Nam neque medicorum „ præcepta dici vere poſſunt, ſiqua inſcii, „ imperitique pro ſalutaribus mortifera con- „ ſcripſerint: neque in Populo lex, cuicui- „ modi fuerit illa, etiamſi pernicioſum ali- „ quid Populus acceperit. Ergo eſt Lex juſ-

„ to-

Digitized by Google

„ torum, injuſtorumque diſtinctio ad illam „ antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges „ hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt, & tuentur „ bonos. Præclare intelligo; nec vero jam „ aliam eſſe ullam Legem puto non modo „ habendam, ſed ne appellandam quidem „. Et ib. ait, Legem condi debere ad vitam juſtam, quietam, & beatam: & ideo qui leges injuſtas condidere, quidvis potius tuliſſe, quam Leges. Quod etiam confirmat Plato in *Dial. Men.* Ratio autem eſt clara: quia Lex eſt menſura rectitudinis: Lex autem iniqua non eſt menſura rectitudinis operationis humanæ: nam potius actio illi conformis iniqua eſt. Non eſt ergo Lex; ſed ad ſummum participat nomen legis per quamdam analogiam, & abuſionem vocabuli: ut dici ſolent lex Mundi, lex duelli, & ſimiles; quatenus in ordine ad aliquem finem certum præſcribunt operandi modum.

§. III.

Grotiana legis definitio non plane probatur, ſed male a Puſendorfio rejicitur.

REctius itaque definit Legem Grotius *l.* 1. *c.* 1. §. 9. „ Lex eſt regula actionum „ moralium obligans ad id, quod rectum „ eſt, & laudabile „. Etſi revera totum hoc verificari poſſet de quolibet præcepto dato ad tempus aliquod determinatum. Male tamen impugnat Grotium Puſendorfius de

de J. N. & G. *l.*1. *c.*6. §.4. „ Circa Grotia-
„ nam definitionem *l.*1. *c.*1. §.9. dum le-
„ gem dicit, obligare ad id, *quod rectum*
„ *eſt*, notandum eſt: ipſum ſupponere, da-
„ ri aliquod juſtum, & rectum ante legem,
„ & normam: adeoque legem naturæ rec-
„ tum non facere, ſed jam antea exiſtens
„ dumtaxat ſignificare. De qua hypotheſi
„ quid ſentiendum, ſupra a nobis fuit ex-
„ poſitum „ ſcilicet eſſe explodendam. Ma-
le, inquam, rejicitur; cum ex ſupradictis
etiam conſtet, quid ſentiendum ſit de illa
Pufendorfii ſententia, quod non detur ante
Legem aliquod intrinſece rectum; nempe
eſſe omnino falſam.

§. IV.

Legis definitio a Barbeyracio tradita rejicitur.

ALiter impugnat Grotium Barbeyracius in gallica Grot. edit. de Jure Belli, & Pacis an. 1747. in not. *num.*3. & 5. Duo nimirum objicit Grotio, 1. quod Grotius videtur tribuere *vim obligandi* in Lege, quaſi ex ſeipſa, prout regula eſt; cum revera tota vis obligandi in Lege ſit ex Superiore legem ferente: 2. quod Grotius reducat omnem effectum legis in meram *obligationem*, cum addi debuiſſet etiam *Permiſſio*, quæ a lege male excluditur. Siquidem Legiſlator, qui lege præcipit, vel prohibet expreſſe aliqua, tacito quodam conſenſu videtur relinquere libertati hominum reliqua. Et quoad

quoad hoc reprehendit etiam Puſendorfium, idem ſentientem. Legis definitio idcirco a Barbeyracio propoſita, eſt hæc. „ Lex eſt „ Voluntas Superioris alicujus, varia ratio„ ne ſufficienter manifeſtata, qua is ſub„ jectorum ſuorum, aut omnes in univer„ ſum, aut ſaltem omnes certi generis actio„ nes dirigit, ita ut ratione illarum ipſis „ neceſſitatem certo modo agendi, vel non „ agendi imponat; aut libertatem pro lu„ bitu agendi, vel non agendi relinquat „. At vero hæc 1. videtur non definitio, ſed citius dicenda deſcriptio Legis. 2. vitium illud claudit, quod in Puſendorfiana adnotavimus, ſcilicet, poſſent ſic dici Leges quælibet iniqua etiam Superioris præcepta.

§. V.

Quæ poteſtas requiritur in ferente legem.

EST itaque de ratione Legis *Vis obligandi*: & idcirco non eſt magni momenti expendere, an ſit inter legis effectus cenſenda *Permiſſio*: cum omnes conſentiant in eo, quod quæ lege nec vetita, nec præcepta ſunt, hominum libertati *permittuntur*. Habet autem vim obligandi Lex e Superiore: Siquidem ut ait Suar. *l.1. de Leg. c.8. a n.2.* „ De ratione legis eſt, ut ab haben„ te publicam poteſtatem feratur „. Poteſtas autem, quæ requiritur ad leges ferendas, eſt *Poteſtas Juriſdictionis*, quæ per ſe primo reſpicit Communitatem perfectam, & non ſufficit *Poteſtas Dominativa*, quæ eſt

circa privatas Perſonas, vel ex jure naturæ tantum, ut Patris in Filium; vel ſuppoſito etiam pacto humano, ut Viri in uxorem, in ordine ad gubernationem domus, aut perſonæ; vel ex jure Gentium, aut Civili, ut Domini in Servum bello captum; vel ex humano contractu, ut Domini in Servum, qui ſe illi vendidit: quo ſpectat poteſtas per Votum obedientiæ. Reſidet autem in Poteſtate *Juriſdictionis* major vis coercendi, ac in *Dominativa*. Et ita non licet Domino ſævire in Servum, ut dicunt Jura civilia; expeditque Reipub. ut ſeverior correctio non niſi auctoritate publica fiat. Poteſtas autem *Juriſdictionis* per ſe eſt poteſtas publica, & ad communitatem ordinata. Jamvero quia Legislatio eſt potiſſimus actus, quo Reſpublica gubernatur, iſque propter ejus commune bonum ferri debet; idcirco per ſe ſpectat ad poteſtatem gubernativam Reip., ad quam pertinet procurare ejus commune bonum. Hæc autem eſt poteſtas *Juriſdictionis*. Non vero omnis poteſtas *Juriſdictionis* ſufficit ad leges ferendas: Nam ordinarii Judices habent Juriſdictionem, & tamen leges condere nequeunt. Requiritur ergo principalis quædam, & primæva poteſtas in illo ordine: eſt enim condere legem actus præcipuus gubernationis Reip. Poteſtas autem hæc primario, & per eſſentiam eſt in Deo; comunicatur autem Regibus per quamdam participationem, juxta illud *Sap.*6. „ Audite Reges . . . quoniam data „ eſt a Domino poteſtas vobis „. In omni rur-

Digitized by Google

ſus communitate eſt aliqua Poteſtas ſuprema in ſuo ordine, in Eccleſia Pontifex; in Regno temporali Rex; in Repub., quæ ariſtocratice gubernatur, tota Reſpub. Non enim poteſt eſſe Corpus, niſi ſit monſtruoſum, & mutilum, ſine capite.

§. VI.

Quæ requiruntur ex parte legislatoris, & ex parte legis.

REquiritur in Legislatore ex parte Intellectus judicium, quo ſtatuat, & decernat rem talem eſſe Reip. convenientem, & expedire, ut ab omnibus ſervetur. Lex enim debet eſſe juſta, & conſequenter etiam prudenter, & rationabiliter lata. Ex parte Voluntatis requiritur actus, quo Princeps velit obſervari id, quod expediens judicavit: actus vero Voluntatis reſpicit obligationem ſubditorum. Poſt hæc neceſſarium eſt, ut manifeſtetur Subditis decretum illud ſufficienti propoſitione. Hæc omnia ad mentem Suarezii *loc. cit.* Neque vero ultra hæc aliud additur a Puſendorfio *c.6. l.1. De Jure Naturæ, & Gentium; & lib. de Off. Hom. & Civ. l.1. c.2.* §.5. Niſi obſcura quædam, & incerta, & quædam etiam aperte falſa, ut *de Materia Legis* loc. cit. §.*16.* „ Materia legum in genere eſt quidquid ab iis, „ a quibus feruntur, fieri poteſt, ſaltem eo „ tempore, quo leges promulgantur „. Atque hoc quidem juxta ſupra impugnatam de intrinſeca actus honeſtate ſententiam.

Digitized by Google

Haud ita Suarez *l.1. de Leg. c.9.* ubi advertit, materiam legis eſſe debere *Juſtam*, & nomine juſtitiæ complectitur conditiones *ab Iſidor. l.5. Etymol. c.2.* poſitas: ſcilicet, *quod Religioni congruat*, *quod diſciplinæ conveniat*, *quod ſaluti proficiat*. Jamvero inferius explicat, quod aliquando „ actus præ-
„ cepti per legem ſupponantur boni, & ho-
„ neſti de ſe: & per legem accipiunt tan-
„ tum neceſſitatem, & obligationem, quia
„ antea erant Voluntarii: ut de actu audien-
„ di Miſſam, jejunandi, vel ſimilibus. Ali-
„ quando lex datur de opere indifferenti:
„ ut de ferendis, vel non ferendis armis
„ tali tempore, & loco: & tunc actus fit
„ bonus, & ex efficacia, & ex fine legis „.

§. VII.

In quem ferri poteſt lex.

„ QUis lege obligari poſſit, facile ex
„ Jure Legislatoris intelligitur (ait
„ Puſend. *ib.* §.17.) nempe ille,
„ qui Legislatoris imperio eſt ſubjectus.
„ Quem autem voluerit obligare Legisla-
„ tor, ex ipſa lege ſatis perſpicitur „. Unde patet veriſſima eſſe, quæ habet *Suar.* 16. *n.7.* de *legis acceptatione*, quæ nimirum in legibus divinis non habet locum; in humanis vero „ non eſſe de ratione legis, nec for-
„ maliter convenire alicui legi, imo quo-
„ dammodo cum illius ratione pugnare.
„ Nam de ratione Legis eſt, ut vim ha-
„ beat obligandi; ſi autem pendet ex accep-
„ tatio-

„ tatione Subditorum , jam non tam ipſa „ obligaret, quam ipſi Subditi voluntarie ſe „ ſubmitterent legi . Si ergo aliquando re„ quiritur Populi acceptatio , vel eſt prop„ ter imperfectam poteſtatem Principis, qui „ tantum ſub hac conditione, & dependen„ tia poteſtatem recipit; vel eſt ex benigni„ tate Legislatoris, qui non vult ſua abſo„ luta poteſtate. Unde quando dicitur lex „ humana firmari moribus utentium, non „ tam jure, quam facto intelligendum eſt: „ ut ſenſit Archid. *in* §. *lex d*.4. *&* *ib. Tur*„ *recr. ar*.2. & certum eſt poſt damnatam propoſ. ab Alex. VII.

CAPUT SEXTUM

De vi obligandi in qualibet lege

THESIS.

„ OMnis lex aliquo modo eſt „ a lege æterna & ab illa „ habet vim obligandi „. *Suar. De Leg. l.*2. *c.*4.

„ *Hæc eſt D. Thomæ ſenten*„ *tia* q.93. ar.3. *Alenſ.*, *&* *alio*„ *rum Theologorum . Sumitur ex* „ *Auguſt. L. de vera relig. c.*31. „ *ubi ait* „ conditor legum tem- poralium, ſi vir bonus eſt, & ſa-

 piens;

piens , illam ipſam conſulit æternam , de qua nulli animæ judicare datum eſt , ut ſecundum incommutabiles regulas , quid ſit pro tempore jubendum , vetandumve diſcernat „ *Et l.1. de lib. arb. c.6.*„ Nihil eſt in temporali lege juſtum , quod ex lege æterna non derivetur . „ *Et quæſt.67. in Exod.*„ Lex æterna Dei eſt , quam conſulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint , vel faciant, vel jubeant, vel vetent . „ *Ratio autem generalis reddi poteſt : quia lex æterna* „ *eſt lex per eſſentiam , & omnis* „ *alia eſt per participationem :* „ *Ergo neceſſe eſt , ut omnis alia* „ *lex ſit effectus legis æternæ .* „ *Præterea : Lex duo requirit ;* „ *unum , ut ſit juſta , & rationi* „ *conſentanea ; aliud , ut ſit efficax ad obligandum . Sed omnis* „ *recta ratio creata eſt ex participatione divini luminis, quod* „ *ſignatum eſt in nobis ; & omnis*

pote-

„ *poteſtas hominum deſuper da-*
„ *tur, & a Domino Deo eſt. Ergo*
„ *omnis lex in hominibus exiſtens*
„ *eſt ex lege æterna. Et utrumque*
„ *ſignificavit divina ſapientia,*
„ *cum dixit (Prov.8.)* „. Per me Reges regnant, *utique quantum ad poteſtatem*; & legum conditores juſta decernunt, *videlicet quoad rectam rationem. Ib.* n.4. & 5.

§. I.

Quid ſit lex æterna.

DAri in Deo legem æternam, eſt communis Theologorum ſententia. Cum enim Deus habeat Providentiam, neceſſario ſupponi debet in eo æterna quædam ratio practica totius diſpoſitionis, & gubernationis univerſi. Hanc utique Æthnicorum Sapientiſſimi agnovere in Deo. Sic Tullius 2. de Leg. „ Hanc video, *ajebat*, Sa-
„ pientiſſimorum eſſe Sententiam, nec ſci-
„ tum eſſe aliquod Populorum, ſed æter-
„ num quiddam, quod univerſum Mun-
„ dum regit imperandi, prohibendique Sa-
„ pientiam „. Extant Manilii *l.*1. *de Aſtron.* verſus illi:

„ Hoc opus immenſi conſtructum Cor-
„ pore Mundi,

 „ Ma-

„ Membraque natura diverſa condita
„ forma,
„ Aeris, atque Ignis, Terræ, Pelagi-
„ que jacentis
„ Vis animæ divina regit, ſacroque
„ meatu
„ Conſpirat Deus, & tacita ratione
„ gubernat „.

§. II.

Quos reſpicit lex æterna.

QUare dici optime poteſt, legem hanc æternam non eſſe regulam actuum divinorum ad intra: nec eſſe regulam actuum divinorum ad extra, quatenus morales ſunt, & honeſti: nam de illis conſtat non dirigi, ſed ab intrinſeco habere certum eſſendi modum, & per ſeſe rectos eſſe; de iſtis vero, quia Deus nec Superiorem habet, nec ſe ipſum per modum præcepti, & legis poteſt obligare: cum non ſit ſibi Superior, & rectum operetur ex naturali rectitudine; & ex principio contradictionis nequeat operari contra rectum, vel contra ſuum decretum, ſcilicet ex ſuamet natura. Unde dictamina practica de iis, quæ decent Deum, non proponunt præceptum, ſed tantum oſtendunt, indicando quid rei natura habeat. Dicimus autem Legem æternam habere rationem legis reſpectu rerum gubernatarum, pro ipſis tamen Creaturis, ut ſecundum illam moveantur; non vero pro Dei ipſius Voluntate, ut neceſſario ſecun-

cundum illam regat. Auguſtinus *l. contra Fauſt.*22. *c.*27. ajebat „ Lex æterna eſt ra„ tio divina, vel Voluntas Dei, ordinem „ naturalem conſervari jubens, perturbari „ vetans „. Atque hic advertendum eſt: legem æternam ad mentem Suarez proprie eſſe decretum liberum Voluntatis Dei, ſtatuentis ordinem ſervandum aut generaliter ab omnibus partibus Univerſi in ordine ad commune bonum, vel immediate illi conveniens ratione totius Univerſi, vel ſaltem ratione ſingularum ſpecierum ejus; aut ſpecialiter ſervandum a Creaturis intellectualibus quoad liberas operationes earum.

§. III.

Quomodo lex æterna obliget.

HÆc autem Lex æterna, ut eſt proprie præceptiva reſpectu hominum, habet vim obligandi de ſe, ſi ſufficienter promulgetur, & applicetur. Deus enim habet ſupremam imperandi poteſtatem: ergo & obligandi. Imperat autem per ſuam legem æternam. Siquidem imperium ſuum non incipit in tempore; ergo per eamdem obligat. Obligat enimvero in tempore, habito ad Creaturas reſpectu: ſed vis obligandi fuit ab æterno. At, quoniam æterna hæc lex non eſt per ſe ipſa hominibus viatoribus nota, debet utique vel in aliis legibus, vel per alias innoteſcere. Et quidem omnes neceſſario vident aliquam participationem legis æternæ in ſe ipſis, cum nemo

 utens

utens ratione ſit, qui non judicet aliquo modo honeſtum eſſe faciendum, turpe vitandum. Aliqui rurſus aſſequuntur legis æternæ cognitionem vel naturali diſcurſu, vel perfectius per revelationem fidei; tandem per leges juſtas, temporales, ac creatas. Quia ſicut cauſæ ſecundæ oſtendunt primam, & Creaturæ Creatorem; ita leges temporales, quæ participatio ſunt legis æternæ, fontem, a quo manant, oſtendunt. Atque idcirco vel in legibus inferioribus, vel per leges inferiores poſſe innoteſcere legem æternam patet: & quidem non per directam cognitionem ſub ratione participationis legis æternæ, ſed veluti exercite, & virtualiter.

§. IV.

Quomodo promulgetur.

EX eo quod diximus, legem æternam nunquam per ſe ipſam obligare ſeparatam ab omni alia lege, ſequitur, pari modo promulgari, ac Lex alia promulgatur. Poteſt autem promulgari per legem divinam: & tunc ratio obligationis proxima eſt ipſa Lex æterna: & Lex externa, quæ ibi intervenit, eſt ſignum indicans legem principaliter obligantem. Hoc in legibus divinis poſitivis patet: in legibus vero humanis, licet concurrat lex æterna ad illarum obligationem ut cauſa univerſalis; tamen proxima cauſa obligationis eſt lex humana, ut ſignum voluntatis humanæ: in lege naturali quì ſe habeat, dicemus mox.

CA-

CAPUT SEPTIMUM

De lege naturali

THESIS.

„ LEx naturalis explicari poteſt „ ex Suarez ſic : Lumen na„ turale Intellectus repræſentans „ Voluntatem Dei Auctoris natu„ ræ , & ſupremi Domini , Gu„ bernatoris ejuſdem naturæ, obli„ gantem homines ad id ſervan„ dum , quod recta ratio dictat „. *Ex Suar. de Leg. l.2. c.5. n.14. & c.6. n.13.*

„ *Quamvis homines nihil actu „ cogitent , aut judicent natura„ lem legem retinent in cordibus „ ſuis . Quare licet in actuali „ judicio mentis propriiſſime exiſ„ tat lex naturalis ; adhuc lumen „ naturale Intellectus , quod ve„ luti permanenter continet ſcrip„ tam illam legem , & poteſt „ ſemper actu illam repræſenta„ re , poteſt vocari Lex naturalis .*

„ *Rurſus lex naturalis non tan-*
„ *tum eſt indicativa mali, &*
„ *boni, ſed etiam continet pro-*
„ *priam probibitionem mali, &*
„ *præceptionem boni: neque enim*
„ *importat merum judicium Intel-*
„ *lectus de boneſtate, vel turpi-*
„ *tudine objecti; ſed debet indi-*
„ *care mandatum, ſcilicet Dei*
„ *Voluntatem, & quidem ut ſu-*
„ *premi gubernatoris naturæ, ad*
„ *quem ſpectat vetare mala, &*
„ *præcipere bona: & idcirco pec-*
„ *cata contra legem naturalem*
„ *dicuntur in Scriptura eſſe con-*
„ *tra divinam Voluntatem. Unde*
„ *dixit Anſelm.* 1. *de Volunt. Dei* „
Quicunque legi naturali obviat, Dei Voluntatem non ſervat „ *Vo-*
„ *luntatem ſcilicet obligandi bo-*
„ *mines ad id ſervandum, quod*
„ *recta ratio dictat. Tandem*
„ *quamvis obligatio, quam addit*
„ *lex naturalis, ut præceptiva*
„ *eſt, ſit ex voluntate divina;*
tamen

„ *tamen illa Voluntas ſupponit ju-*
„ *dicium de malitia, puta menda-*
„ *cii, & ſimilia, quæ ceteroqui*
„ *recta ratio dictat. Verum quia*
„ *ex vi ſolius judicii non induci-*
„ *tur propria probibitio, vel obli-*
„ *gatio præcepti (nam hæc ſine Vo-*
„ *luntate intelligi non poteſt); idea*
„ *adjungitur voluntas probibendi*
„ *illud, quia malum eſt* „. Ib.

§. I.

Quomodo inſinuetur lex naturalis.

TRadita legis naturalis deſcriptio eſt ad Doctoris Eximii mentem, ac juxta proprietates, quas citatis in locis ipſe proponit. Poſſet autem paucioribus ſic tradi: *Judicium Intellectus repræſentans objecta ut præcepta, vel vetita a ſupremo Gubernatore naturæ rationalis*. Judicium autem rectæ rationis inditum naturaliter homini eſt de ſe ſufficiens ſignum talis divinæ voluntatis: nec neceſſaria eſt alia inſinuatio. Siquidem Judicium rationis indicat de ſe, ut ait Suar. *l.2. De Leg. c.6. n.24.* divinam Providentiam decentem Deum, & moraliter neceſſariam ad plenum dominium ejus, & debitam ſubjectionem hominis ad ipſum: in qua Providentia hæc legislatio continetur. Rurſus

ſus per lumen ipſum naturale cognoſcitur: Deum offendi peccatis, quæ contra legem naturalem fiunt, & ad ipſum pertinere illorum punitionem, & judicium. Ergo ipſum naturale lumen eſt de ſe promulgatio ſufficiens legis naturalis: non ſolum quia manifeſtat intrinſecam diſconvenientiam, vel convenientiam actuum, quam lumen Dei increatum oſtendit; ſed etiam quia proponit homini, contrarias actiones diſplicere auctori naturæ, tanquam ſupremo Domino, Curatori, & Gubernatori ejuſdem naturæ. Hoc itaque ſatis eſt ad intimationem talis legis, ut ſenſit *D.Th.* 1. 2. *q.*90. *ar.*4. *ad* 1. Quare lumen Intellectus repræſentans honeſtatem, vel turpitudinem objecti, eſt dictamen rationis, ſeu recta ratio. Neque enim proprie dici poteſt lex, cum hæc dicat Voluntatem Legislatoris: lumen vero intellectus repræſentans Voluntatem Dei modo dicto eſt lex naturalis: atque ex hac parte ab æterna lege immediate derivat.

§. II.

De Repugnantia Peccati mere philoſophici tum in Suarezii, tum in aliorum Catholicorum ſententia.

QUare legitime infertur, poſita lege naturali prædicto modo explicata, peccata omnia, diſſona ſcilicet naturæ rationali, habere rationem tranſgreſſionis legis pro-

proprie ipſius Dei, quam culpam theologicam communiter vocant. Siquidem lumen naturale in præſenti ſtatu repræſentans rem diſſonam naturæ rationali, illam ſimul tempore repræſentat ut vetitam ab Auctore, & Gubernatore naturæ rationalis: & idcirco nequit actus ille libere patrari, quin ſimul in Auctorem, & Legislatorem ſupremum peccetur. „ Hanc deformitatem (ait „ *Suar. ib. c.6. n.17.*) non haberet actus „ humanus rationali naturæ contrarius, „ poſita hypotheſi, quod Deus illum non „ prohiberet (hoc eſt, ſi nulla eſſet om„ nino lex naturalis): quia tunc non ha„ beret illum virtualem contemptum Dei, „ (ſcilicet Dei Legislatoris) quem conti„ net tranſgreſſio legis (in hac ſerie) reſ„ pectu Legislatoris. Conſonat illud Pauli. „ *Per prævaricationem legis Deum inhono„ ras* ad Rom.2. „ Adeoque poſita lege, implicat evidenter peccatum mere philoſophicum: & quidem juxta principia Suarezii, diſtinguentis videlicet intrinſecam honeſtatem, vel turpitudinem rei a Lege ipſa naturali, illamque ſtatuentis, ut vidimus, independentem a Voluntate ipſa Dei; Legem vero naturalem dependentem a divina Voluntate: ut rigoroſa Legis natura videtur poſtulare.

At non minus juxta ſolidiſſima aliorum Catholicorum principia implicare dicitur peccatum philoſophicum, etiam poſito, quod lex naturalis non diſtinguatur a recta ratione. Etenim inde ſequitur, quod quiſ-

quis

quis contra rectam rationem agit, agit eo ipſo contra legem naturæ: licet non advertat ad ipſum Deum auctorem naturæ rationalis, & ejuſdem gubernatorem. Neque enim advertentia ad Deum eſt ad offenſam ipſius Dei neceſſaria: nam homo agendo contra legem naturæ, Auctorem legis offendit, ejuſque amicitiam ſolvit: unde ſemper peccatum illud imbibit rationem offenſæ Dei, & peccati theologici, licet ad Deum non advertat. Hæc autem Ratio, qua parte excludit neceſſitatem advertentiæ ad Deum pro peccato theologico, & offenſa Dei, optima eſt: nec Suarezii ſententiæ de lege naturali opponitur, quin & illi favet, in hypotheſi nimirum facta a Suarez, quod Deus non poſuiſſet homini legem naturalem; ſed illum cum ſolo honeſtatis principio conſtituiſſet. Jam in eo caſu neque dari poſſet peccatum mere philoſophicum ob rationem poſitam: ſemper enim peccatum contra principia honeſtatis moralis eſſet contra ipſum Naturæ rationalis Auctorem. Rurſus ea ratio magis eſt experientiæ conformis: nam de facto qui contra legem naturæ peccat, non videtur advertere ad Voluntatem Dei, vel ſaltem non reflectit ad Deum: licet dici poſſit, quod confuſo aliquo modo attingat Deum.

Hob-

Digitized by Google

§. III.

Hobbeſii de lege naturali errores.

LEgem naturalem a Jure naturali diſtinctam definiit Thomas Hobbes. Sane Jus naturæ appellat. „ Libertatem, quam „ quiſque natura habet, facultatibus natu„ ralibus ſecundum rectam rationem uten„ di „ ſic *lib.*1. *de cive c.*1. §.7. & *c.*2. §.1. deſcripſit legem naturæ „. Dictamen rectæ „ rationis circa ea, quæ agenda, vel omit„ tenda ſunt ad vitæ, membrorumque con„ ſervationem, quantum fieri poteſt, diu„ turnam „. Definitionem hanc pluribus capitibus vitioſam eſſe, oſtendunt complures: quos inter Antonius Genuenſis *tomo* 4. Metaph. *c.*6. illam egregie confutat: ac 1. ex eo, quod „ dictamine rectæ rationis in„ telligatur naturæ humanæ finis; atque „ ex eo leges naturæ derivari poſſunt, non „ effici; ſeu dictamen rectæ rationis prin„ cipium eſſe poteſt Legum naturæ *cognoſ„ citivum*, ut vocant, non Obligationum, „ ſeu lex naturæ proprie dicta. Itaque lex „ naturæ eſt ratio imperantis Dei dictami„ ne rationis humanæ promulgata, non „ ipſum humanæ rationis dictamen „. Pergit deinde ad partem illam Hobbeſianæ definitionis, aitque §.2. „ Ea verba, *ad vi„ tæ, membrorumque conſervationem, quan„ tum fieri poteſt, diuturnam*, nimis ar„ ctum temporis ſpatium, nec totum objec„ tum legis naturæ continent. Et quidem „ cum duplici vita ſit homo præditus, ani„ mali

„ mali, & rationali: & rationalis immor-
„ talis quoque ſit; neceſſe eſt, ut ultra
„ hanc vitam legis naturæ uſus extenda-
„ tur: ut utramque vitam, & quidem pro
„ ſui conditione ea lege ordinemus .. At
„ Hobbeſius &c.„ Sed quoad hanc Hobbe-
ſianæ ſententiæ impugnationem a Cl. V. præſtitam, ut maxime ſecundam hanc partem probo; ita contra primam eſt, quod reponam. Sane ſolide confutat vir doctiſſimus & Hobbeſium, & Puſendorfium totam legis naturalis doctrinam arctis hujus vitæ limitibus circumſcribentes: cum clare pateat, legem naturalem non omnino perituris a ſupremo naturæ rationalis Opifice traditam. Verum ubi de *dictamine rationis* verba facit, eſſet utique interrogandi locus: quid nomine *dictaminis rationis* intelligat? An *merum lumen Intellectus*, prout videntur indicare verba immediate ſequentia? hic, eſſet adhuc addendum, quid repræſentet lumen illud Intellectus? Nam poteſt exhibere convenientiam, vel diſconvenientiam rei cum natura rationali, ſeu honeſtatem, aut turpitudinem rei: & in hoc ſenſu non erit proprie lex naturalis. Poteſt rurſus oſtendere Voluntatem Dei obligantem homines ad honeſta patranda, & vitanda turpia: & in hac acceptione erit optime lex naturalis. Neque enim ſatis concipio, quomodo lex naturæ dici poſſit *ratio imperantis Dei*, niſi accipiatur pro lumine naturaliter indito a Deo, ſignificante Voluntatem ipſius modo dicto. Lex enim natu-

naturalis non conſideranda eſt in ipſo Deo, in quo ſane importat actum divinæ Voluntatis directum a judicio rationis, prout ſupra attigimus: ſed conſideranda eſt in hominibus, in quorum mentibus inſcripta dicitur a ſacris litteris. Hominibus autem quænam *ratio imperantis Dei* inſculpta eſt, præter lumen jam dictum intellectus? Vitioſam itaque puto Hobbeſii, ac peſtiferam ſententiam: habito nimirum reſpectu ad objecta per dictamen rationis exhibita: quæ quidem nec veram honeſtatem ſapiunt, nec divini ſupremi domini Voluntatem proponunt.

§. IV.

Acatholicorum de lege naturali ſententiæ.

EX Recentioribus vero Juris naturalis Scriptoribus plerique in ſtabiliendis principiis *Cognoſcitivis*, ut dicunt, operam poſuere, parum de ipſa Legis obligantis natura ſolliciti. Sic Puſendorfius de J. N. & G. *l.* 1. *c.* 6. §. 18. definiens legem naturalem, ait „ eſt, quæ cum rationali, & ſociali natura hominis ita congruit; ut humano generi honeſta, & pacifica Societas citra eamdem conſtare nequeat: aut, ſi mavis, quæ bonitatem velut naturalem, ſeu utilitatem ex nativa ſua efficacia in ordine ad genus humanum in univerſum habet „. Hæc autem tota deſcriptio eſt non *Legis naturalis* proprie, ut patet, ſed potius Finis naturæ ipſius humanæ, quem reſpicit Prin-

Principium cognoſcitivum Juris naturalis. Et juxta hanc intelligentiam ipſemet *l.*2. *c.*3. §.15. ait. „ Fundamentalis lex naturæ
„ iſthæc erit : cuilibet homini, quantum
„ in ſe, colendam, & conſervandam eſſe
„ pacificam adverſus alios Societatem, in-
„ doli, & ſcopo generis humani in univer-
„ ſum congruentem „. Richardus etiam Cumberland non alio ſenſu accipere videtur legem naturalem, quando illam definit in Tract. Philoſ. *c.*5. §.1. „ Lex naturalis
„ eſt propoſitio clariſſime indita menti ex
„ natura rerum conſequenter a Voluntate
„ Cauſæ primæ. Quæ propoſitio indicat
„ actiones ad bonum commune Agentium
„ rationalium conducentes: quas præſtitas
„ præmia, neglectas pænæ naturaliter ſe-
„ quuntur, prout exigit Entium rationa-
„ lium natura „. Nimirum hic Auctor finem complectitur naturæ totius rationalis, ex quo principia omnia utique naturaliter indita deducit. Sed *de Principio* hoc *cognoſcitivo* legis naturalis dicam infra.

§. V.

De legis naturalis definitione ſine ulla ad Deum relatione.

UNum hic adnoto: Iis omnibus, qui legem naturalem, ſeu *principium*, ut dicunt, *eſſendi* legis naturalis in pluribus, iiſque naturalibus præceptis reponunt, non eſſe revera ſolidam cum noſtra ſententia controverſiam. Siquidem omnia naturalia

ralia præcepta unum dicuntur componere Jus naturale, adeoque unam legem naturalem: poſſunt enim uniri in uno fine, & in uno etiam auctore, ſeu Legislatore, & in uno modo vel vitandi malum, quia malum eſt, vel præcipiendi bonum, quia honeſtum, ac neceſſarium eſt. Quare congeries præceptorum naturalium ad moralem unitatem reduci poteſt. Poſſet autem difficultas inveniri, ſi nulla in præceptis illis naturalibus haberetur relatio ad Deum, ſupremum ſcilicet naturæ totius curatorem, & gubernatorem. Siquidem, ſublata penitus hac relatione, vel implicita in intrinſeca actuum honeſtate, & turpitudine, vel explicita in ipſa legis naturalis natura, jam eo ipſo non remaneret in peccato niſi ratio a Philoſopho morali conſiderata, ut ait *D. Th.* 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. ad 4. ſcilicet, *ſecundum quod contrariatur rationi*; non vero *ſecundum quod eſt offenſio contra Deum*, quod conſideratur a Theologis: & conſequenter dari poſſet peccatum mere philoſophicum, quod ſcilicet patraretur quidem *contra regulas, quibus homo ſe conformare teneretur*. Sed, quoniam regularum obligatio aliunde conciperetur, quam a natura, & a ſupremo auctore, & gubernatore naturæ conſequenter præſcinderet; idcirco poſſet nullam habere divinæ offenſæ rationem: adeoque nec habere, niſi externam, philoſophicam malitiam. Hoc autem falſum eſſe, conſtat ex propoſit. damnata. Sed hic locus poſtulat, Catholicos noſtros J.N.Scripto-

tores admonere; ne ſcilicet, ex eo, quod nonnullis Juris Naturæ Profeſſoribus, Acatholicis quidem, diſpliceat principium aliquod ceteroqui naturale, ſed lumine fidei regulatum, dicant propterea, principium illud eſſe juſtæ reprehenſionis meritum; ſed potius ut conentur rem ipſam ad rectam etiam rationis trutinam revocare. Hinc Puſendorfiana Legis definitio: *Decretum, quo Superior ſibi ſubjectum obligat, ut ad ipſius præſcriptum actiones ſuas componat*: Erit utique reprehenſione digna; non quidem quod Deum Legis Naturæ Auctorem adſtruat, & conſequenter principium activum obligationis ſaltem perfectæ legis naturalis eſſe Dei voluntatem (quemadmodum docto cuidam Scriptori viſum eſt); ſed quod manca ſit, utpote iniquo etiam cuilibet decreto conveniens, ut ſupra poſuimus. Similiter Cocceji, & Heineccii Legis naturæ definitio: *Complexum regularum ab ipſo Deo immortali humano generi per rectam rationem promulgatarum*, nec erit reprehendenda ob expreſſam Dei præcipientis mentionem, quæ citius inde laude digna erit: verum quod nullum profert diſcrimen inter præcepta, & conſilia, quæ etiam dici poſſunt regulæ a Deo hominibus promulgatæ, ut patet, & tamen ex Fide diſtinguere illa oportet: quemadmodum Polemici contra Heterodoxos tuentur, & videre licet ap. Bellarm. *l. de Monach. a c.7. Suar. tr. de Relig. l.1. a c.6.* Neque tandem Grotii, aliorumque Scholaſticorum doctrina de legis natu-

ralis

ralis definitione a docto Auctore Catholico dici debet, jure reprehendenda, quod adſtruat, actionibus jure naturali præſcriptis ineſſe naturalem honeſtatem, aut turpitudinem ex ſe ipſis. Hoc enim juxta saniora Catholicorum dogmata videtur compertum. Erit autem aliqua reprehenſione digna legis naturalis definitio „. Congeries regu„ larum, ad quas actiones liberas homines „ componere obligantur, naturali ratione „ cognita, atque perſpecta „. Siquidem, excluſa intrinſeca in actibus honeſtate, vel turpitudine, & nulla habita ſupremi naturæ Gubernatoris mentione, peccato mere philoſophico via ſterneretur: obligatio enim poſſet aliunde juxta hujuſmodi principia, quam a Deo, oriri in actibus illis.

§. VI.

Unde habeat vim obligandi lex naturalis.

IN obligatione Legis naturalis ex dictis conſtat, totam vim oriri a lege æterna Dei, cujus Voluntatem Lex naturalis innuit: Quod vero adeo obliget, ut, præciſa etiam legis ſupernaturalis cognitione, obliget in conſcientia, & tranſgreſſorem æterna pœna puniat: eſt certum de fide, ut patet ex illo ad Rom. 2. „ *Quicunque ſine lege* (utique ſcripta) *peccaverunt*, *ſine lege peri„ bunt* „ ſcilicet, quia naturalem legem violarunt: de qua ſubdit: „ *Gentes*, *quæ „ legem non habent*, *naturaliter*, *quæ legis „ ſunt*, *faciunt* &c. *Teſtimonium redden-*

„ *te*

„ *te illis conſcientia ipſorum* „. Hoc autem in hypotheſi culpæ gravis, ut puta in materia gravi, & neceſſaria ad caritatem Dei, vel proximi, atque adeo ad felicitatem humanam conſequendam. Neque obſtat, quod nec ratio naturalis, nec lex naturalis oſtendat hanc pænam: quia lex hæc naturalis, etſi prout eſt in nobis, non oſtendat hanc pænam; prout eſt in Deo tamen, ubi nimirum eſt Voluntas divina directa ratione, hanc pænam repræſentat: & hoc ſufficit ad illam ſubeundam, ſi ſemel homo efficiat actum tali pæna dignum, licet meritum ſuæ tranſgreſſionis ignoret. Obligatio autem hæc ex vi legis naturalis ſpecialis eſt: & in ordine ad malum vitandum ſupponit etiam, ut diximus, quamdam intrinſecam obligationem debitam ipſi Naturæ: unaquæque enim res quodammodo ſibi debet, ut nihil faciat ſuæ ipſius naturæ diſſentaneum.

CAPUT OCTAVUM

De perpetuitate legis naturalis

THESIS.

„ LEx naturalis per ſeipſam
„ deſinere non poteſt, vel
„ mutari, neque in univerſali,
„ neque in particulari, manente
„ natura rationali cum uſu ratio-
„ nis,

„ nis , & libertatis „ . *Ex Suar. de leg. l.2. c.13.*

„ Ita ex D. Th.1. 2. q.94. ar.4.
„ & 5. & q.100. ar.8. & 2. 2. q.66.
„ ar.2. ad 1. & q.104. ar.4. ad 2.
„ ex Auguſt. l.83. quæſt. q.53. &
„ lib. de vera relig. c.31. & l.1.
„ de lib. arb. c.6. *Tum : Hoc Jus*
„ *naturale vel conſideratur in Deo,*
„ *vel in homine: prout eſt in ho-*
„ *mine mutari non poteſt , quia*
„ *eſt intrinſeca proprietas neceſ-*
„ *ſario fluens ex tali natura , qua*
„ *talis eſt , vel (ut alii volunt)*
„ *eſt ipſa rationalis natura . Er-*
„ *go repugnat , manente tali na-*
„ *tura apta ad utendum ratione,*
„ *auferri legem naturalem. Si ve-*
„ *ro conſideretur hæc lex, ut eſt*
„ *in Deo ; ſupra oſtenſum eſt,*
„ *non poſſe auferri neque a judi-*
„ *cio divini Intellectus , neque a*
„ *Voluntate, qua velit vel talia bo-*
„ *na præcipere , vel talia vitare :*
„ *habita nimirum ratione ad Gu-*

G *berna-*

Digitized by Google

„ *bernatorem naturæ rationalis* „ : De leg. l.2. c.13. n.2.

§. I.

Legis naturalis immutabilitas.

AD pleniorem Legis naturalis cognitionem nonnullæ ſuperſunt explicandæ legis ipſius proprietates. Has inter potiſſima eſt ejus firmitas & immutabilitas. Poſſet autem in lege fieri mutatio vel ex eo quod ipſa de ſe deficeret, quaſi ab intrinſeco: ſi ſcilicet ex utili fieret noxia, aut ex rationabili fieret irrationabilis, vel virtute alicujus agentis habentis poteſtatem. Jam poſita propoſitio de primi generis mutatione procedit. Tota autem rationis vis in eo innititur, quod nimirum lumen intellectus, quod naturaliter eſt in homine, in præſenti Providentia neceſſario repræſentet rem *honeſtam*, non modo ut convenientem naturæ rationali, ſed etiam ut præceptam; & *inhoneſtam* non modo ut diſſonam, ſed etiam ut vetitam a Supremo Legislatore, ſeu Gubernatore naturæ rationalis. Ergo ubi ſemel immotum manet lumen Intellectus, & immotæ manent objectorum naturæ (prout nimirum debent); in iſto caſu, quemadmodum lex æterna Dei manebit immota vel præcipiens, vel vetans; ita lumen intellectus repræſentabit conſtanter vel præceptum, vel prohibitionem. Præceptum, pro cir-

circumſtantiis determinatis, prohibitionem vero pro quacunque circumſtantia juxta naturam rei ipſius, & objecti.

§. II.

De Honeſtate mutabili, vel immutabili rei.

ATque ex poſtremis hiſce verbis patet, quomodo procedat obligatio legis naturalis circa rem aliquam poſitive honeſtam. Si enim rei honeſtas eſt *omnino immutabilis*, ut eſt, puta, *Obſequium erga Deum*; in hoc caſu nunquam erit circumſtantia, oppoſitum permittens ex lege naturali: licet erit circumſtantia vel præſcindens, vel præcipiens, ut infra dicemus. Si vero rei honeſtas *mutari poteſt*, quod alligata ſit circumſtantiis mutabilibus; in hoc caſu lex naturalis reſpicit rem illam uno modo, quando eſt honeſta, alio modo, quando eſt inhoneſta: primo modo, ut præcipiens; ſecundo modo, ut prohibens. Quare lex naturalis eadem manet præcipiens honeſta, vetans autem turpia. Quænam autem hæc ſint, dictamen rationis oſtendit.

§. III.

Quid alii opinentur de hac legis immutabilitate.

COnſtantiam hujus legis habemus a Lactantio aſſertam *lib.6. de vero cultu c.6.* ubi etiam Cicer. ſententiam *lib.3. de Rep.* ci-

citat. „ Eſt quidem vera Lex , recta ratio „ naturæ congruens , diffuſa in omnes , con- „ ſtans , ſempiterna , quæ vocet ad offi- „ cium jubendo ; vetando a fraude de- „ terreat : quæ tamen neque probos fruſtra „ jubet , aut vetat ; nec improbos jubendo , „ aut vetando movet . Huic legi nec pro- „ pagari fas eſt , neque derogari ex hac ali- „ quid licet , neque tota abrogari poteſt . „ Nec vero aut per Senatum , aut per Po- „ pulum ſolvi hac lege poſſumus . Nec erit „ alia lex Romæ , alia Athenis , alia nunc , „ alia poſthac : ſed & omnes gentes , & om- „ ni tempore una lex , & ſempiterna , & im- „ mutabilis continebit : unuſque erit commu- „ nis quaſi magiſter , & imperator omnium „ Deus : ille legis hujus inventor , diſcep- „ tator , lator , cui qui non parebit , ipſe „ ſe fugiet , ac naturam hominis aſpernabi- „ tur : hoc ipſo luet maximas pænas , etiamſi „ cetera ſupplicia , quæ putantur , effuge- „ rit „ . Hanc etiam immutabilitatem he- terodoxi etiam Juris naturalis Scriptores aſ- firmant . Puſendorfius de J. N. & G. *l.* 2. *c.* 3. §. 5. ait „ Poſita rerum, & humanæ naturæ con- „ ſtantia , etſi ex beneplacito divino illa ab „ initio ſic formata fuerit ; lex naturæ firma , „ & immota perſiſtit „ . Quomodo autem fir- mitas hæc concipiatur , ſi nulla ſit intrinſe- ca rebus honeſtas , aut turpitudo , eſt non levis utique contra Puſendorfium difficultas : quam fortaſſe melius infra explicabimus .

CA-

CAPUT NONUM

De legis naturalis firmitate

THESIS.

„ NOn poteſt Deus diſpenſa-
„ re in aliquo præcepto na-
„ turali, ſed mutare materiam
„ ejus, vel circumſtantias, ſine
„ quibus præceptum ipſum natu-
„ rale non obligat ex ſe, & abſque
„ diſpenſatione „. *Suar. De leg. l.2. c.15.*

„ *Si præceptum eſt naturale,
„ ut tale eſt, ſequitur per con-
„ ſequentiam neceſſariam ex prin-
„ cipiis naturalibus. Ergo non
„ poteſt magis diſpenſari in illo,
„ quam in ipſis principiis. Con-
„ ſequentia patet, quia omnis fal-
„ ſitas, vel defectus in conclu-
„ ſione redundat in falſitatem,
„ vel defectum, aut mutationem
„ principii. Antecedens vero pa-
„ tet, quia ſi non ſequitur neceſ-
„ ſario ex principiis naturalibus:*

„ ergo non obligat ex vi ſolius
„ rationis , & diſcurſus : ergo
„ non eſt mere naturalis obliga-
„ tio . Declaratur tam in affir-
„ mativo , quam in negativo præ-
„ cepto : Quia ſi præceptum af-
„ firmativum non ſequitur neceſ-
„ ſario ex principiis naturalibus:
„ ergo actus , quem præcipit , non
„ eſt ſimpliciter neceſſarius ad ho-
„ neſtatem morum ex vi ſolius
„ rationis : ergo nec eſt præcep-
„ tus , nec ſub obligatione natu-
„ rali , niſi accedat aliqua Volun-
„ tas , quæ inducat neceſſitatem .
„ Unde e contrario nec omiſſio ta-
„ lis actus erit per ſe , & intrin-
„ ſece mala in aliqua opportuni-
„ tate , vel cum aliquibus circum-
„ ſtantiis . Nam ſi pro aliquo
„ tempore , vel occaſione habet il-
„ lam intrinſecam malitiam , non
„ vero pro aliis ; certe pro illa erit
„ præceptum naturale obligans ad
„ talem actum , & non pro aliis ;
& ita

Digitized by Google

„ *& ita ſtante illa occaſione cum*
„ *omnibus circumſtantiis, non po-*
„ *terit præceptum non obligare:*
„ *quod ſi mutetur occaſio, & cir-*
„ *cumſtantiæ: tunc deſinere pote-*
„ *rit obligatio, non tamen per*
„ *diſpenſationem; ſed quia hæc*
„ *eſt natura præcepti affirmativi,*
„ *ut obliget ſemper, & non pro*
„ *ſemper. Si vero præceptum eſt*
„ *negativum, ut ſit naturale, opor-*
„ *tet, ut prohibeat rem, quia ma-*
„ *la eſt: atque adeo ut per ſe, &*
„ *intrinſece eſt mala; alioqui non*
„ *erit præceptum naturale, quod*
„ *non facit, ſed oſtendit malitiam*
„ *actus prohibiti. Nam ſi actio*
„ *ex ſe talis non eſt, neceſſaria*
„ *erit aliqua Voluntas, per quam*
„ *fiat mala* „. Ibid.

§. I.

De multiplici Præceptorum J. N. genere.

NE in æquivocatione verſemur, ſtatus propoſitionis eſt, non poſſe Deum efficere, ut actiones illæ, puta, quæ per legem Decalogi prohibentur, malæ non ſint ullo modo, ita ut nec per legem oſtenſivam naturalis rationis vetentur ut malæ. Dantur ſiquidem tria Præceptorum naturalium genera: aliud præceptorum univerſalium, quemadmodum, *Malum non eſt faciendum*, *Bonum eſt proſequendum*: & de his præceptis nemo ſanæ mentis dubitat, non poſſe diſpenſationem ſuſcipere. Aliud continet concluſiones quaſdam immediatas, & dictis principiis intrinſecas, ut *Præcepta Decalogi*. At de hoc præceptorum genere ſuſtinent nonnulli fieri poſſe, atque adeo factam a Deo diſpenſationem. In tertio genere ſunt alia præcepta multo magis remota a primis principiis, & a præceptis Decalogi. De quibus etiam propoſitio Suarezii procedit.

§. II.

De multiplici in divinis attributis ratione.

UT probe intelligatur, quid ſit *Diſpenſatio* in hoc loco, oportet diſtinguere in Deo varias rationes. Eſt enim Deus *Supremus Legislator*; unde habet, ut poſſit nova, & varia præcepta imponere: eſt etiam *Supremus Dominus*, qui poteſt domi-

nia

nia mutare, vel concedere: eſt item *Supremus Judex*, qui poteſt punire, vel unicuique reddere, quod ei debetur. Jamvero *Diſpenſatio* proprie ad Deum ſub prima conſideratione pertinet, quia ejuſdem eſt poteſtatis tollere, & condere legem. Itaque, ut intelligatur Deus diſpenſare, oportet, ut, utendo ſola illa juriſdictione, & non adjungendo poteſtatem dominativam, per quam res ipſas immutet, licere faciat, quod antea non licebat. Nam ſi per dominium ſuum mutet humanum, hoc non erit diſpenſare, ſed mutare, & tollere materiam legis. Quoties ergo Deus facit licitum actum, qui jure naturæ videbatur prohibitus, nunquam id facit ut purus Legislator, ſed utendo alia poteſtate; & ideo non diſpenſat.

§. III.

An Deus unquam in Lege naturæ diſpenſaverit?

QUare in exemplis, quæ de hac divina diſpenſatione producuntur, poſito uſu divini dominii in materiam illam legis, factum eſt, ut non permanerent illæ eædem res, ac erant antea, ſeu quæ intrinſecam habebant vel honeſtatem, vel inhoneſtatem. Et idcirco illas ſic immutatas lex naturalis non, ut antea, reſpiciebat. Voluntas itaque divina non intrinſecam immutavit rei ipſius honeſtatem (quæ quidem independens ab illa eſt) ſed, circumſtantias rei immutando, aliam loco illius rem ſub-

ſtituit, cum alio ſcilicet honeſtatis reſpectu. Nobis autem, rei circumſtantias a divino dominio immutatas non introſpicientibus, viſa eſt eadem res, ac erat antea: adeoque ſub eadem honeſtatis ratione. Sed mentis noſtræ infirmitati vertendum hoc: & juxta traditam doctrinam reformandæ ſunt putatæ hujus diſpenſationis Ideæ.

§. IV.

De Puſendorfii in ſuis Principiis inconſtantia.

ATque hæc quidem optime deſcendunt ex poſitis intrinſecæ rerum honeſtatis principiis. At non video, cur Puſendorfius de J. N. & G. *l.*2. *c.*3. §.5. ad noſtra hæc principia confugerit, exempla illa divinæ diſpenſationis explicaturus: „ Facile „ reſponſio patet ad illa exempla, ex qui„ bus aliqui colligere volunt, quaſi Deus „ de lege naturæ diſpenſaverit, dum Abra„ hamum juſſit mactare Filium: Iſraelitas „ ſubducere Ægyptiis vaſa aurea, & argen„ tea. Deo quippe tanquam ſupremo om„ nium Domino longe eminentius eſt Jus „ in ſuas Creaturas, quam homini in ho„ minem natura ſibi æqualem. Igitur pro„ prie non eſt diſpenſatio de lege naturæ, „ quando homo per expreſſum Dei man„ datum exſequitur Jus Dei in homines, tan„ quam nudum ipſius inſtrumentum Conſ. „ Grotius *l.*1. *c.*1. §.10. Ubi arbitror, ne„ minem fore tam ſimplicem, qui credi-

„ de-

„ derit, quando objectum fuerit mutatum, „ aut circumſtantiis variatum, in lege ac- „ cidiſſe aliquam mutationem. Nam quod „ creditum Creditor Debitori acceptum re- „ tulit, non amplius comprehenditur ſub „ illa lege: Creditum eſt reſtituendum: „ quia creditum eſſe deſiit. In illo autem „ exemplo, quando deponentis bona Fiſco „ addicuntur, neque lex, neque objectum „ legis mutatur. Lex enim ita proprie ſe „ habet: Depoſitarius rem acceptam debet „ reſtituere ei, qui rem ſuam depoſuit, „ aut qui in ejus jus ſucceſſit. Sic igitur „ hæc lex non pertinet ad furem, quia res „ depoſita non eſt ipſius: neque ad depor- „ tatum, quia in dominium ejus Fiſcus ſuc- „ ceſſit „. Non video, inquam, cur princi- piis Suarezii, & ferme iiſdem verbis, ac Suarez *de leg. l.*2. *c.*15. *n.*20. explicuerit propoſita exempla? Citat ipſe Grotium, qui ſane ibi ſuſtinet, „ Jus naturale eſſe „ etiam per divinam potentiam immutabi- „ le. Sicuti impoſſibile eſt ipſi Deo effice- „ re, ut *bis duo* non ſint *quatuor*: ita nec „ eſt ipſi poſſibile efficere, ut quæ actio in „ ſe, & natura ſua mala ſit, talis non ſit „. Et num. ſequente explicat „ deceptionem „ illam aliquorum minus acute cernentium „ in Jure naturali, ubi aliquid putant in „ lege ipſa immutatum, cum non niſi in „ objecto, mutationi ceteroqui obnoxio, ac- „ cidit „. Affert exemplum Creditoris reſ- pectu Debitoris, quem uſurpavit Puſendor- fius: & reſolvit per ſupremum Dei Domi-

 nium

nium in res ipſas exempla illa diſpenſationis. Utique bene etiam procedit hæc explicatio in Grotii ſententia, admittentis ſcilicet intrinſecam rebus ipſis honeſtatem.

At Pufendorfius, qui de Jure Naturæ, & Gentium *l.*1. *c.*2. §.6. reprehendit Grotium de hac eadem ſententia in eodem loco, ſcilicet *lib.*1. *cap.*1. §.10. his verbis „ Unde apparet, non ſatis expendiſſe hanc rem „ Grotium de J. B. & P. *l.*1. *c.*1. §.10. „ dum inter illa, ad quæ divina ſe potentia non extendit, eo quod contradictionem involvant, refert malitiam quorumdam actuum humanorum. Equidem non „ poſſunt non bis duo eſſe quatuor, quia „ bis duo, & quatuor, ſunt unum, & idem, „ vocabulis tantum differunt, aut modo concipiendi: maniſeſtiſſima autem contradictio eſt, idem ſimul eſſe idem, & non eſſe „ idem. At talis ſane contradictio non adparet in actibus juri naturæ adverſantibus „. Et quidem ſuis principiis cohærenter Pufendorfius hic ratiocinatur: Siquidem ex ipſo hic „ Honeſtas moralis, & turpitudo oritur a convenientia, vel diſconvenientia cum lege; „ lex vero eſt juſſum Superioris, ſeu Dei: „ (*& quidem ut habet lib.*1. *c.*1. §.4.) „ penes quem, tanquam Creatorem, fuit, libertatem voluntatis certis limitibus circumſcribere, & reluctantem, intentato „ aliquo malo, verſus eam, *quam ipſe vult*, „ partem flectere. *Hinc ſequitur conſequenter quemadmodum*, *habet l.*1. *c.*1. §.23.) „ Entia moralia uti impoſitioni (*ſcilicet ex*

„ *pla-*

„ *placito Dei*) ſuam debent originem; ita „ ab eadem ſtabilitatem quoque, aut mu„ tationes ſortiuntur: & ubi iſta velut ceſ„ ſaverit, ipſa ſimul evaneſcunt: non ſecus „ atque extincto lumine umbra ſimul diſpa„ ret. Et quidem *quæ divina ex impoſitio„ ne orta ſunt, non niſi divino arbitrio ite„ rum tolluntur* „. Quæ quidem verba clariſſima ſunt, & clariſſime oſtendunt, *non dari contradictionem* in eo, quod Potentia divina ſe extendat ad honeſtatem actuum humanorum. Sed hic adverſus Puſendorfium ſubſumo: Si honeſtas quælibet actuum humanorum ex divina libera voluntate exiſtit, & ab ipſa libere poteſt auferri, & quidem ut ait *l. c.* §.23. „ ipſa rerum ſubſtantia phy„ ſica haud quidquam immutata „ jam eo ipſo poterit *actus honeſtus ex divino placito reddi inhoneſtus, & contra*, ſaltem pro aliquo caſu: ſicuti etiam poſſet pro aliquo caſu *ab actu honeſto tolli ex divino arbitrio honeſtas*. Ergo in exemplis illis juxta principia modo dicta cenſeri poſſet, ita factum a Deo. Atqui ipſemet Puſend. aſſerit *l.*2. *c.*3. §.5. hoc fieri a Deo minime poſſe: ait enim. „ Poſtquam a Deo creatus eſt homo, „ animal quod citra obſervationem legis „ naturalis ſalvum eſſe nequit; inde haud „ quidquam fas eſt credere, eumdem velle „ legem naturæ tollere, aut immutare, „ quamdiu naturæ humanæ nullam muta„ tionem infert. Adeoque poſita rerum, & „ humanæ naturæ conſtantia, etſi ex be„ neplacito divino illa ab initio ſic forma-

„ ta

„ ta fuerit, lex naturæ firma, & immota „ perſiſtit „. idcirco exempla illa juxta noſtra principia explicat. Poſſet igitur Deus mutare, & non poſſet. Hæc autem quî ſecum cohærent? Illud hic repetendum eſt, quod ajebat Leibnitzius in Epiſt. illa contra ipſum Puſendorfium ad Molan. Abatem „ Mirum „ eſſet, virum acutum ſecum adeo pugnare „ potuiſſe; niſi ſciremus, facile evenire pa„ radoxa tuentibus, ut, prævalente ſenſu „ communi, ſui dogmatis obliviſcantur „.

CAPUT DECIMUM

De principiis cognoſcitivis legis naturalis

THESIS I.

PRincipium cognoſcitivum legis naturalis habens rationem finis, ſeu regulæ actuum humanorum eſt hoc: „ Quod eſt neceſſa„ rium ad felicitatem, ſeu beati„ tudinem naturalem homini ſive „ in particulari, ſive in commu„ ni aſſequendam, illud eſt Le„ gis naturalis præceptum: quod „ vero eſt minus neceſſarium, eſt „ levius præceptum. „ *Suar.* I. 2. *diſp.* 16.

Na-

Digitized by Google

„ *Natura ſua homo tendit ad*
„ *naturalem beatitudinem ſive in*
„ *particulari, quæ dicit ſuarum*
„ *facultatum perfectionem; ſive*
„ *in communi, quæ importat ag-*
„ *gregationem omnium bonorum.*
„ *Ergo omne id, quod neceſſarium*
„ *eſt ad prædictam beatitudinem*
„ *naturalem conſequendam, eſt*
„ *legis naturæ præceptum; quod*
„ *eſt minus neceſſarium, eſt le-*
„ *vius præceptum*„. Ibid. ſect. 1. n. 1. & 5.

THESIS II.

PRincipium proxime cognoſcitivum honeſtatis moralis eſt
„ actuale judicium mentis dictans
„ objecti convenientiam cum na-
„ tura rationali, vel diſconvenien-
„ tiam modo dicto„.

Digitized by Google

THESIS III.

PRincipium proxime cognoſcitivum legis naturalis eſt „ actuale Judicium mentis repræſentans „ objectum vel ut præceptum , vel „ ut vetitum a Supremo auctore, & „ Gubernatore naturæ rationalis „. *Suar.* 1. 2. *tr.*3. *diſp.*13. *Sect.*3.

„ *Ratio* D. Th. 1. 2. q.19. ar.3. „ *eſt optima : Voluntas pendet ex* „ *ratione ut oſtendente objectum,* „ *& ideo neceſſaria eſt ratio , quæ* „ *oſtendat objectum honeſtum, ut* „ *Voluntas ſit honeſta . Item Vo-* „ *luntas eſt potentia cæca ; indiget* „ *ergo dirigente , & gubernante ,* „ *ut recta tendat : hoc autem non* „ *eſt niſi recta ratio , quæ hoc* „ *præſtat per judium conſcientiæ ;* „ *quocirca ſi hoc judicium certum* „ *ſit , non eſt dubium , quin in ſuo* „ *genere ſufficiat ad honeſtatem* „ *voluntatis : neque enim aliquid* „ *amplius ab homine requiri po-* *teſt ,*

„ *teſt, cum & objectum propoſi-*
„ *tum ſufficiens ſit, ut ſupponi-*
„ *tur, & modus etiam proponen-*
„ *di ſit perfectus, quantum ab ho-*
„ *mine præſtari poteſt* „. Ibidem
num. 1.

„ *Ut Conſcientia obliget, ne-*
„ *ceſſarium eſt, ut in objecto obli-*
„ *gationem proponat ita, ut non*
„ *ſolum indicet, aliquid eſſe bo-*
„ *num; ſed etiam neceſſarium ad*
„ *honeſtatem. Poteſt enim obli-*
„ *gare vel ad omittendum, vel*
„ *ad faciendum: & ad hoc ex*
„ *parte objecti ſatis eſt, ut con-*
„ *trarium proponat tamquam ma-*
„ *lum: quia omne malum caven-*
„ *dum eſt natura ſua, & vitan-*
„ *dum. Vel poteſt obligare ad ali-*
„ *quid faciendum, idque duplici-*
„ *ter: ſcilicet vel quoad exerci-*
„ *tium actus, & neceſſe eſt, ut*
„ *judicem me teneri hic, & nunc*
„ *ad hoc faciendum; vel quoad*
„ *ſpecificationem tantum, ut ſi*
ju-

„ *judicem, quamvis non teneär* „ *orare v. g.; tamen ſi orare ve-* „ *lim, debere orare attente, vel* „ *alio modo. Et tunc etiam ne-* „ *ceſſe eſt, ut illam conditionem* „ *proponat tamquam neceſſariam* „ *ad boneſtatem. Ratio generalis* „ *eſt, quia conſcientia (ſeu Ju-* „ *dicium hoc mentis) non obligat,* „ *niſi ut applicans legem (nimi-* „ *rum ut repræſentans legem) ſeu* „ *obligationem, quæ ex objecto* „ *naſcitur. Ergo neceſſe eſt, ut* „ *proponat objectum, ut inducens* „ *obligationem, vel ex ſe, vel ex Su-* „ *perioris mandato* „. Ib. ſect.4.n.2.

§. I.

De varia acceptione Principii cognoſcitivi Juris Naturæ.

NIhil adeo frequenter apud Juris naturalis Scriptores invenire licet, quam *Principia cognoſcitiva* Juris naturalis. Quid autem eo nomine intelligant, ſi aliquos conſulas, puta Thomaſium *Inſtit. Jur. div. l.*1. *c.*4. Ludovici *Dub. circa Jus nat.*, audias, eos intelligere *Propoſitionem ſub qua, & ex*

& ex qua reliqua præcepta conprehendantur, & inferantur: ſi alios apud Genuenſ. de *Princip. Jur. nat. Præf. & cap.*8. interroges, accipies, ea eſſe a *naturæ propenſionibus, quæ tamen non inſint illi a qualitatibus, & vitiis naturæ humanæ adventitiis, ſed a proprietatibus inſitis, & eſſentialibus*, ſeu a vi quadam innata. At, ſi attente ab Auctoribus ipſis ſtatuta Principia cognoſcitiva expenderis, utrumque noveris ab ipſis intelligi; & naturalem veluti quemdam actum, & eam naturalem inclinationem, ut inde cetera naturalia præcepta deduci poſſint. Hinc illud Pufendorfii de Jure Naturæ & Gentium *l.*2. *c.*3. §.14. „ Nobis nulla via „ propior videtur, & magis adpoſita ad in„ veſtigandum Jus naturale, (ſeu, ut ex loco „ ipſo apparet, *Principium cognoſcitivum Ju„ ris naturalis*); quam ipſam hominis na„ turam, conditionemque, & inclinationes „ accuratius contemplari „: Poſtquam vero §.15. ſequenti ſtatuit fundamentalem legem naturalem, ſcilicet *Socialitatem*: ſtatim, ut oſtendat inde erui præcepta omnia naturalia ſubdit: „ omnia, quæ ad iſtam „ ſocialitatem neceſſario faciunt, jure na„ turali præcepta, quæ eamdem turbant, „ aut abrumpunt, vetita intelligi „. Eodem ferme modo ratiocinantur Grotius, Heineccius, Cumberlandus, aliique. Quamobrem illud erit optimum *Juris naturæ cognoſcitivum principium*, ad quod conſequendum omnia dirigantur naturalia præcepta, & a quo certo quodam modo dependeant.

De

Digitized by Google

Virtutes, ut Juſtitiæ, Caritatis, ſeu amoris naturalis &c. ſive in ordine ad Intellectum], nam quædam ſunt per ſe notæ, & in ſe, & reſpectu omnium hominum, ut ſunt univerſaliſſima præcepta; alia in ſe, & per ſe nota, ac immediate, non tamen quoad nos, quamvis reſpectu Sapientium poſſint eſſe talia, ut ſunt aliqua Præcepta ſingularum virtutum, & præcepta decalogi: alia vero ſunt, quæ indigent diſcurſu, ubi aliqua facile, alia difficile cognoſcuntur: In omnibus hiſce diviſionibus locum habet criterium a Suarezio ſtatutum, quo ſcilicet in particulari dignoſcam, quinam actus ſint hic, & nunc ex lege naturali præcepti, vel vetiti. Idem pariter aptari poteſt ad aliam diviſionem præceptorum naturalium, quam innuit Suarez *De leg. l.2. c.8. n.4.* juxta varias hominis inclinationes naturales cum D. Thoma: aitque. „ Eſt homo individuum quoddam ens, & ut ſic inclinatur ad conſervandum ſuum eſſe, & ad ſuam commoditatem: Eſt etiam ens corruptibile, ſeu mortale, & ut ſic inclinatur ad conſervationem ſpeciei, & ad actiones propter illam neceſſarias: tandem rationalis eſt, & ut ſic capax immortalitatis, & ſpiritualium perfectionum, & communicationis cum Deo, ac Societatis cum rationalibus Creaturis. Lex ergo naturalis perficit hominem ſecundum omnem inclinationem ſuam, & ut ſic continet varia præcepta, temperantiæ, vel fortitudinis ſecundum primam „ in-

„ inclinationem ; caſtitatis , & prudentiæ
„ quoad ſecundam ; religionis , Juſtitiæ &c.
„ quoad tertiam . Nam hæ omnes propen-
„ ſiones in homine ſpectandæ ſunt , qua-
„ tenus aliquo modo determinatæ , & ele-
„ vatæ per gradum rationalem . Nam ſi
„ conſiderentur ut mere ſunt naturales , vel
„ animales , potius frænandæ ſunt ad vir-
„ tutem aſſequendam , ut dixit . *Ariſtot.* 2.
„ *Ethic. c.*9. & Chryſoſt. hom. 13. ad Popu-
„ lum verſus finem : tamen ut regulabiles
„ per rectam rationem , ſingulis reſpondent
„ propria , & accommodata præcepta „. Jam quemadmodum, univerſaliter loquendo, legis naturalis præcepta dantur homini, ut naturales propenſiones dirigat, perficiatque; ita ad ſtatutam regulam ipſi eſt confugiendum, ut modum, & rationem illarum perficiendarum in particulari dignoſcat. Idem de aliorum ſyſtematis dici debet, quod patet, illa referendo.

§. III.

De Grotii, & Pufendorfii principiis cognoſcitivis Juris Naturæ.

GRotius De J. B. & P. in diſc. prælim. in Prolegomenis a §. 8. proponit pro cognoſcitivo principio Juris naturæ *appetitum ſocietatis pacatæ, & tranquillæ*: ſtatuit enim Jus ipſum naturale *in quadam convenientia, aut diſconvenientia cum natura rationali, & ſociabili l* 1. *c.* 1. §. 12. *n.* 1. Jam in eodem diſc. §. 8. ait. „ Hanc ſocietatis cuſtodiam

„ todiam humanæ menti conformem eſſe „ fontem Juris proprie dicti „. Et confirmat hoc auctoritate Senecæ *de Benef. l.*4. *c.*18. quem locum refert Barbeyracius in notis ad caput hoc Grotii. Tale autem principium, non alio auctore, quam Deo, in nobis exiſtit: & idcirco ait Grotius *ib.* § 3. „ tale Jus merito Deo adſcribi poteſt „.

Non abſimile huic ſtatuit Principium ſuum Puſendorfius, & conformitatem hanc inter hos auctores agnoſcit, & fatetur Barbeyrac. in notis ad *Grot. edit. not.*1. *ad* §.8. ubi lectorem remittit ad ea, quæ ad idem Principium Socialitatis a Puſendorfio ſtatutum in notis ad Puſendorfium dixerat. Puſendorfius vero Grotiani principii, a quo ſuum hauſerat revera, non meminit, prout debebat: nec Grotium ipſum nominat, niſi ad aliud principium inferius commemorandum, & impugnandum. Quin & Maſcovius egregiam Puſendorfio laudem ex hoc principio conciliare ſtudet, nec aliquid Grotio tribuit. Jam Puſendorfius *De Jure Naturæ & Gentium l.*2. *c.*3. §.15. Et *de Offic. hom. & Civ. l.*2. *c.*3. *§.*9. ait „ Fundamentalis lex naturæ iſthæc erit: cuilibet homini, quantum „ in ſe, colendam, & conſervandam eſſe „ pacificam adverſus alios Socialitatem, in„ doli, & ſcopo generis humani in univer„ ſum congruentem „. Tum explicat, quid nomine *Socialitatis* intelligat „. Per Sociali„ tatem innuimus ejuſmodi diſpoſitionem „ hominis erga quemvis hominem, per „ quam ipſi benevolentia, pace, & carita-

„ te,

Digitized by Google

„ te , mutuaque adeo obligatione conjun- „ ctus intelligitur . Ut adeo falſiſſimum ſit, „ eam , quam nos inſinuamus Socialitatem „ indifferenter ſe ad bonam, & malam ſo- „ cietatem habere „ .

§. IV.

Improbatur Socialitatis prædictæ Syſtema .

QUamvis principium hoc Socialitatis ſit a natura inditum homini, quem *animal ſociabile* conſtituit : Unde Tullius *lib.*1. *de off. n.*11. poſtquam hominem, ut animantium unum, & ut rationalem cum ſuis officiis conſideravit, ſubdit : „ Eadem- „ que Natura vi rationis hominem conci- „ liat homini & ad orationis, & ad vitæ „ ſocietatem : ingeneratque in primis præ- „ cipuum quemdam amorem in eos, qui „ procreati ſunt, impellitque, ut hominum „ cœtus, ac celebritates eſſe, & a ſe obi- „ ri velit ; ob eaſque cauſas ſtudeat parare „ ea, quæ ſuppetant ad cultum, & ad vic- „ tum ; nec ſibi ſoli, ſed conjugi, libe- „ ris, ceteriſque ; quos caros habeat, tue- „ rique debeat „ quamquam, ut dixi, hoc ſit a natura nobis conſtitutum ; adhuc in eo principio plura ſuperſunt obſcura, plura etiam deſiderantur. Deſiderantur ſane *officia erga Deum* , quæ totius Ethices præcipuum ſunt fundamentum, ac firmiſſimum. Ob id Auctor reprehenſus, ſufficientem ſibi viſus eſt attuliſſe excuſationem in *Specim. Controv. c.*5. *§.*25. *& Spicil. Controv. c.*1. *§.*14.

§.14. ubi ait, *hoc ſibi conſtitutum præcipue eſſe, ut officia hominum mutua, ſive erga alios explicet*. Quam quidem excuſationem plane futilem homini Chriſtiano de J. N. & G. ſcribenti ipſe advertit, atque in *lib. de off. hom. & Civ.* emendavit, addiditque officia erga Deum. Verum ægre ex ſuo principio poſſunt ea deduci. Rurſus non videtur, hoc principium aptari commode poſſe *actibus internis*, quos inprimis dirigere debet morum Philoſophus. Inſuper hoc principium Adæ non congruiſſet, ſi diutius ſine ſocio vixiſſet. Quid? quod aliquando videntur officia erga nos cum iis, quæ aliis debemus, collidi? Certe ea erga nos præponi debent; licet hic Hertius queratur, *de ſocialit. J. N. princ. ſect.*2. §.8. multis ambagibus rem obvolvi. Quid rurſus: ſi collidantur officia majoris, & minoris ſocialitatis; utrius commoda ſunt præferenda? Hoc idem advertit Maſcovius, & arbitratu ſuo litem diremit: *primum minoris Civitatis commoda; tum majoris*. Quam magna tandem ſequentur abſurda, ſi in hac Socialitate non alia ſpectanda ſunt bona, niſi quæ Vitæ hujus curſum poſſunt perficere? Ita vero *Socialitatem* hanc ſtatuit ipſe Puſend. *J. N. Principium*; nam habet §.6. *& 8. Præf. ad lib. de Off. hom. & Civ.*
„ Finem ſcientiæ Juris naturæ tantum am-
„ bitu hujus vitæ includi, adeoque ea ho-
„ minem formet, prout hanc vitam cum
„ aliis ſociabilem exigere debeat „. *Et in fin.* §. „ Inde J. N. ſcita ad forum dumta-

„ xat humanum adaptantur, quod ultra hanc „ vitam ſeſe non extendit „. At quam hoc ſit Philoſopho morali Chriſtiano indignum, patet ex iis, quæ contra Puſendorfium objecit Leibnitzius in Epiſt. ad Nolanum.

§. V.

De Cumberlandi principio J. N. cognoſcitivo.

RIchardus Cumberland aliam revera iniit viam ad legem hanc naturæ dignoſcendam; licet Puſendorfius *loc. cit.* aſſerat. „ Ceterum a noſtra lege fundamentali non „ abit illa Rich. Cumberland *de leg. nat.* „ *c.*1. §.4. „ Itaque Cumberlandus legem hanc naturæ ex creaturarum rationalium fine eruendam cenſet. Tum ſubdit, finem hominis eſſe beatitudinem, cujus natura capax eſt. Beatitudo vero, cujus homo hic capax eſt, duo complectitur, ut animus ſine ægritudine, Corpus ſine dolore ſit. Media autem ad hunc finem conducentia a Deo, a quo finis proceſſit ille, præcipiuntur: & illi fini contraria item a Deo, Auctore naturalis illius finis vetantur. Præcipuum vero fundamentum ad noſtram felicitatem obtinendam, quo poſito, felicitas datur, quo ablato, aufertur, eſt mutua erga omnes benevolentia, quantum fieri poteſt, maxima, & communis boni ſtudium. Ita *c.*1. §.4. Tandem ex hac mutua benevolentia omnia Juris naturalis præcepta deducit. Sane hoc principium non ea claudit abſurda, quæ Puſendorfianum Socialitatis jam dictum complectitur.

De

Digitized by Google

§. VI.

De principio J. N. cognoſcitivo Heineccii.

HEineccius de J. N. & G. *l.*1. *c.*3. poſtquam §.67. *&* 68. explicuit, principium cognoſcendi J. N. eſſe debere *verum*, *evidens*, atque *adæquatum*, ac rurſus plures Philoſophorum ſententias impugnavit, eodem ferme modo, ac Cumberlandus ratiocinari cepit, „ de eo, quod Deus velit „ homines feliciſſimos, & vera felicitas in „ fruitione boni, malique abſentia conſiſ„ tat: vero autem bono frui non poſſimus, „ niſi per amorem: Inde infertur, Deum „ nos obligare ad amorem, eumque & prin„ cipium Juris naturæ, & ejuſdem veluti „ compendium eſſe „: Sic §.77. 79. Quoad objecta hujus amoris aſſerit §.90. „ Non niſi „ tria reperimus, quibus amoris quædam „ officia præſtare poſſimus, *Deum*, rerum „ omnium Conditorem, *nos ipſos*, qui no„ bis ſane ſumus proximi, ac denique *alios* „ *homines*, quos nobis natura æquales eſſe „ animadvertimus „. Capite deinde 4. applicare conatur ad humanas actiones hanc normam. Utriuſque hujus Auctoris Cumberlandi ſcilicet, atque Heineccii principium cognoſcitivum videtur ad finem ipſum hominis naturalem refundi, & cum illo Suarezii, de quo infra, in pluribus convenire.

Digitized by Google

§. VII.

De Wolfii principio cognoſcitivo J. N.

VOlfius in *Phil. pract.* tradit principium univerſale ad Legis naturalis dignoſcenda præcepta. Vult autem, natura nos duci ad ſtatus noſtri perfectionem, tum quoad ea, quæ Corpus, tum quoad ea, quæ animum ſpectant. Idcirco §.340. hanc ſtatuit generalem regulam „. Quæ te, ſtatumque „ tuum perfectiorem efficiunt, facito: ea „ autem, quæ te, ſtatumque tuum reddunt „ imperfectiorem, caveto „. Hæc autem lex natura ipſa ſuadetur: ſiquidem ut ait *Pſych. Empir.* §.554. „ Bonum eſt, quidquid „ nos, ac ſtatum noſtrum internum, & „ externum perfectiores reddit „. *Et* §.565. „ Quidquid nos, ſtatumque noſtrum, ſive „ internum, ſive externum imperfectiores „ reddit, malum eſt „. Aſſerit proinde in *Phil. pract.* §.153. „ Lex naturæ nos obligat „ ad actiones intrinſece bonas committen„ das, intrinſece vero malas omittendas „. Sunt autem, quas modo dixerat, actiones intrinſece bonæ, aut malæ. Dignoſcuntur autem ex naturali dolore, qui ſequitur ea, quæ nos, ſtatumque noſtrum reddunt imperfectiores; & ex voluptate, qua afficitur qui ea curat, quæ ſe, ſuumque ſtatum reddunt perfectiores. Quare in *Phil. pract.* illud ſtatuit principium legis naturalis cognoſcitivum §.179. „ Determinatio actionum libe„ rarum per eaſdem rationes finales, per „ quas determinantur naturales, non vero

per

„ per diverſas, eſt principium cognoſcendi „ legem naturalium, omniſque Juris na- „ turalis „.

§. VIII.

Rejicitur Wolfii principium Juris Naturæ cognoſcitivum.

DE hujuſmodi Wolfii propoſitionibus jam oſtendimus, quæ mala ſequuntur conſectaria. Quoad hoc vero principium legis naturalis, fundatum videlicet in *Bono perficiente naturam* illud adnoto: optime impugnari a Suarezio *l.*2. *de leg. c.*5. ubi nimirum oſtendit, fuſeque probat: Naturam rationalem, ut talis eſſentia eſt, non poſſe *nec præcipere, nec oſtendere honeſtatem, aut malitiam, nec dirigere, aut illuminare, nec alium proprium effectum legis habere*. Unum profero argumentum ex *n.*8. ubi aſſumens, quod ſi ex natura ipſa, ſeu ex naturæ bono, aut perfectione, ut vis, (nam in idem recidunt omnia) lex naturalis eſſet haurienda; ſequeretur „ legem naturalem non eſſe legem „ divinam, neque eſſe ex Deo. Quia juxta „ illam ſententiam præcepta hujus legis non „ ſunt ex Deo, quatenus neceſſariam honeſ- „ tatem habent: & illa conditio, quæ eſt „ in natura rationali, ratione cujus eſt men- „ ſura illius honeſtatis, non pendet a Deo „ in ratione, licet pendeat in exiſtentia. „ Nam quod mendacium *v. g.* ſit diſconve- „ niens tali naturæ non eſt ex Deo, nec „ pendet ex ejus voluntate; imo ordine ra-

„ rationis eſt prius , quam judicium Dei . „ Ergo lex naturalis præcedit judicium , & „ Voluntatem Dei . Ergo non habet Auc- „ torem Deum , ſed per ſe ineſt tali na- „ turæ eo modo, quo de ſe habet, ut ſit „ talis eſſentiæ, & non alterius „. Hoc autem non eſt admittendum : Nam lex naturæ vere dependet a Voluntate Dei . Unde ſequitur , reſpectum ad bonum naturæ humanæ non honeſtare rem , multoque minus fundare legem .

§. IX.

Confirmatur noſtrum J. N. proximum principium cognoſcitivum .

UT autem alios omittam , qui ad aliquod hujuſmodi referunt Principium cognoſcendi Legem naturalem , illud unum ex dictis colligo : Omnes propoſitionem aliquam innuere , univerſalem quidem , & cum natura ipſa conformem , & , ſi vis , a natura ipſa inditam . Sed , ut Genuenſis verbis utar *de Princ. leg. nat. c.*14. §.13. „ Illud potius diligentiorem operam poſtulat : „ quæ ſint ea , (ſcilicet in particulari dignoſcenda) quæ nos perficiunt , quæ na- „ tura ipſa ſunt ſectanda ; quæ vero imper- „ fectiores reddunt „ . Atque hoc ipſum de quocumque ſtatuto ab aliis Principio quæri poteſt . Quod ſi humanas actiones in claſſes alias genericas conferas ; peto rurſum principium cognoſcitivum harum generalium claſſium ? Niſi enim hoc tradas , quod cuique

Digitized by Google

que proximum ſit, & *immediatum*, non erit, ex definitione ipſa Heineccii, *principium cognoſcitivum utiliſſimum cuique perſonarum generi*, quod AA iſti jactitant. Erit autem noſtrum proximum cognoſcitivum Principium verum, evidens, adæquatum; & tale, ut ἀνεκλογήτοι (inexcuſabiles) ſint omnes etiam indocti, & ſubtiliori philoſophiæ non adſueti, ſi contra Jus naturæ peccaverint: quod requirit Heinec. *loc. cit.* §.68. Rurſus eſt ab omnibus admittendum, ut patet: quod quidem de aliorum principiis cognoſcitivis non comprobatur, & patet ex Samuele Coccejo *Diſſert.XI. Proem. ad Grot.* c.4. §.20. ajente „ tot fere extant cognoſcendi Principia, ſeu Regulæ, quot ſcribentium capita „ quod manifeſto ſatis indicio eſt, non tradi ab eis verum, evidens, adæquatum Principium.

§. X.

Statuitur Principium J. N. cognoſcitivum, habens rationem finis.

SCio, omnes ferme Juris Naturalis Scriptores non negare proximam hanc, & immediatam morum regulam, quam *D.Th.* 1. 2. *q.*71. *ar.*6. vocat *regulam homogeneam*; & præterea *aliud* ſtatuere *Juris naturalis cognoſcitivum principium*, quod potius habeat *rationem finis*, ad quod dirigantur omnia Juris Naturæ principia, quinimo & actiones omnes At ſi velis hujuſmodi principium, quod *cognoſcitivum* pro libito appel-

les, illudque univerſaliſſimum, ad quod omnia humana in actu ſecundo referantur, & a quo deducantur omnes concluſiones J. N. ad mentem Suarezii; En illud: *Felicitas naturalis ſive in particulari, ſive in communi obtinenda*. Sane omnes felicitate trahuntur: & quandoquidem inter homines vivunt, quærunt viam ad propriam felicitatem ſimul cum aliorum felicitate, vel citra aliorum damnum. Quare autem omnes non ſunt felices? Quia non ubi verſatur *Felicitas* ab omnibus quæritur. Juvat hic rem paulo amplius explicare. Qui ductu rationis vivunt, *in bono honeſto* Felicitatem quærunt: qui ſenſu duce reguntur, *in bono delectabili*: qui ductu utriuſque, *in bono utili*. Jam homines felicitatem naturalem in ſe experiri debent, nequidquam contra inclamantibus aliis: non enim in Intellectu meo ſita eſt aliorum felicitas, ſed unuſquiſque ſibi felix. Hoc autem eſſet quærendum lumine naturali: An *Senſus* eodem modo faciant ad noſtram felicitatem, ac *Ratio*? Profecto a Senſibus orta Voluptas non ſemper æque ſentitur, & brevi perit, & ſæpe invitis nobis mærorem ingerit. Ergo non hic *Felicitas* reponenda, quæ ſit Finis totius naturæ moralis. Si Voluptuarius Epicureus poſſet *ſemper* in illo verſari ſuæ Voluptatis momento; vix equidem naturale argumentum, ſpectato vitæ præſentis curſu, poſſet inveniri ad illius animum expugnandum. Poſſemus illum hortari ad Virtutis partes amplectendas argumentis ductis a bono honeſto moralitatis: reſponderet tamen,

men, ſe eſſe ſine Virtute felicem. At experientia teſte, Voluptas brevi præterit, ac in dolorem vertitur. Principium vero, ad quod natura comparati ſumus, non eſt, ut uno momento ſimus felices, ſed ut majore vitæ parte ſimus felices, & cum majore felicitatis ſenſu. Non eſt ergo a ſenſibus haurienda felicitas. Hic adhibenda eſt ratio, & conferenda ſunt præteritæ, præſentis, ac futuræ felicitatis tempora. Videbitur ſane non Senſus, ſed Ratio debere eligi. Sed quoniam plerique in ſuis actibus præſenti Voluptate trahuntur, nec futurum prævidentes, nec præteritum recolentes; idcirco veræ felicitati nuntium remittunt. Unde igitur in præſenti practice dignoſcam, hoc, aut illud eſſe neceſſarium ad prædictam felicitatem conſequendam? Duplici via: altera a poſteriori ex iis, quæ poſt aliquos noſtræ facultatis actus, vel poſt conſequutionem alicujus boni nobis obveniunt, ſcilicet vel ex interno mærore, vel ex interno gaudio: altera veluti a priori, ſcilicet, *ex auctoritate, & rectæ rationis dictamine*. Hoc itaque ſtatuto pro univerſali, primo, certo, evidenti, atque adæquato Juris Naturæ principio, omnia mirum in modum congruent.

CAPUT UNDECIMUM

De Jure Gentium.

THESIS I.

„ ALiquod eſſe Jus Gentium „.
„ *Suar. l.2. de Leg. c.17. n.1.*
„ *Quod aliquod ſit Jus Gen-*
„ *tium, vel ex ipſius vocis uſu*
„ *frequentiſſimo, omnes tamquam*
„ *certum ſupponunt. Nam hujus*
„ *Juris frequens mentio eſt in Ju-*
„ *re civili §. de Juſtitia & Ju-*
„ *re, & in Inſtitutionibus de Ju-*
„ *re Nat. Gent. & Civ. Et in*
„ *Decreto diſt.1. & seqq. ex Iſi-*
„ *doro lib.5. Etymol. c.2. & in*
„ *utriuſque Juris DD. illis locis,*
„ *& paſſim, & in D. Th. ac*
„ *Theol. in 2. 2. q.57. art.3.* „
Hæc Suarez. loc. cit.

„ *Exempla Juris Gentium, quæ*
„ *Iſidorus poſuit, ſunt 1. Sedium*
„ *occupatio 2. ædificatio 3. Muni-*
„ *tio 4. Bellum 5. & 6. Captivita-*
„ *tes, & ſervitutes 7. Poſtliminia*
8. Fœ-

„ 8. *Fœdera pacis* 9. *Induciæ* 10. *Legatorum non violandorum Religio : Ultimum Connubia inter alienigenas probibita* . Suarez. *de Leg. l.*2. *c.*18. *a n.*4.

Controverſia igitur in eo tantum eſt , an detur Jus Gentium diſtinctum a Jure naturali , & civili : Jus , inquam , intelligendo in eo ſenſu , qui cum lege coincidit.

THESIS II.

„ SI exiſtat hoc Jus Gentium a „ naturali , & civili diſtinc„ tum , hæc erit ejus definitio : Jus „ commune omnium fere gentium „ non inſtinctu ſolius naturæ , ſed „ uſu earum , & moribus conſtitu„ tum „ Suarez *l.*2. *c.*19.

„ *Nec prætereunda eſt* , addit „ Suarez , *ea particula* Fere : *Nam* „ *per eam indicatur : Non eſſe in* „ *boc Jure neceſſitatem omnino in*„ *trinſecam , & naturalem , & non* „ *eſſe neceſſarium , ut ſit commune*

 „ *om-*

Digitized by Google

„ *omnibus omnino gentibus*, *etiam* „ *ſecluſa ignorantia*, *&* *errore*; „ *ſed ſatis eſſe*, *ut fere omnes* „ *gentes bene inſtitutæ illo utan-* „ *tur* „ Addit: „ *Hoc ſine dubio* „ *voluiſſe auctores catholicos*.

THESIS III.

„ HOc Jus Gentium exiſtit: „ *Suar.loc.cit.* Probat Suarez: „ Nam imprimis in hoc modo Ju- „ ris Gentium nulla includitur re- „ pugnantia, ſed eſt plane poſſibi- „ le: Deinde re ipſa ita eſſe de- „ claratur aliquibus exemplis: Nam „ conſuetudo recipiendi legatos ſub „ lege immunitatis, & ſecuritatis „ abſolute ſpectata non eſt de ne- „ ceſſitate Juris naturalis: quia „ potuiſſet unaquæque communi- „ tas hominum non habere apud „ ſe legatos alterius, nec velle „ illos admittere: nunc tamen ad- „ mittere eſt de Jure G., & il-

„ los

Digitized by Google

„ los repudiare eſſet ſignum ini-
„ micitiæ , & eſſet violatio Juris
„ Gentium ex Livio : eſto non eſ-
„ ſet injuſtitia contra rationem na-
„ turalem . Quare , licet ſuppoſita
„ admiſſione legatorum ſub pacto
„ ſubintellecto , contra Jus natura-
„ le ſit , non ſervare illis immu-
„ nitatem : quia eſt contra Juſti-
„ tiam , & debitam fidelitatem ;
„ tamen illa ſuppoſitio , & pactum
„ illud ſub tali conditione Jure Gen-
„ tium eſt introductum . 2. Patet
„ in omni contractu & commercio
„ cum quolibet hominum genere ;
„ ubi tria debent diſtingui : unum
„ eſt particularis modus contrahen-
„ di , & ſpectat ad Jus civile ; al-
„ terum eſt obſervatio contractus
„ jam conſummati , & hoc eſt Ju-
„ ris naturalis ; tertium eſt liber-
„ tas contrahendi cum hominibus
„ non inimicis , vel hoſtibus , &
„ hoc eſt de J. G. Quia Jus natu-
„ ræ per ſe ad hoc non obligat ,

„ &

„ & una Reſp. potuiſſet nolle com-
„ mercium cum alia etiam non
„ inimica : Jure Gentium ſunt in-
„ troducta commercia libera, vio-
„ lareturque Jus Gentium, ſi ſine
„ rationabili cauſa prohiberentur.
„ 3. Cognoſcitur in Jure belli, fun-
„ dato ſcilicet in poteſtate, quam
„ una Reſpub., vel Monarchia ſu-
„ prema habet ad puniendam, vel
„ vindicandam, aut reparandam
„ injuriam ſibi ab altera illatam.
„ Ex vi enim ſolius rationis na-
„ turalis non erat neceſſarium,
„ ut hæc poteſtas eſſet in Repub.
„ offenſa : potuiſſent enim homi-
„ nes inſtituere modum alium vin-
„ dictæ, vel committere illam po-
„ teſtatem alteri Principi, & quaſi
„ arbitro cum poteſtate coactiva.
„ Verum, quia hic modus, qui
„ nunc ſervatur, facilior eſt, ma-
„ giſque naturæ conſentaneus, uſu
„ introductus eſt, & ita juſtus, ut
„ non poſſit illi Jure reſiſti. In
„ hoc

„ hoc etiam Jure conſtituit Sua-
„ rezius ſervitutes: nam illo jure
„ utuntur Populi, & Gentes inter
„ ſe, & non erat neceſſarium ex pu-
„ ra naturali ratione; poſſet enim
„ alius introduci pænæ modus:
„ nunc autem tale eſt hoc Jus,
„ ut & Rei teneantur hanc pænam
„ ſubſtinere eo modo, quo intro-
„ ducta eſt, & Victores non poſ-
„ ſint juſte gravius punire hoſtes
„ jam victos, finito bello, niſi
„ alius ſpecialis titulus interveniat.
„ Item fædera pacis, & inducia-
„ rum poſſunt ſub hoc capite col-
„ locari, non quatenus ſervanda
„ ſunt, poſtquam ſunt facta: hoc
„ enim potius pertinet ad Jus na-
„ turale; ſed quatenus admittenda
„ ſunt, & non neganda, quando
„ debito modo, & rationabiliter
„ petuntur: hoc enim licet ſit ra-
„ tioni naturali valde conſenta-
„ neum; tamen uſo ipſo, & jure
„ Gentium videtur magis firma-

„ tum,

„ tum , & ſub majori eſſe obli-
„ gatione.

Intimam autem hujus Juris Gentium rationem ex natura ipſa, & conſtitutione humani generis repetit *Suar. num.9.* „ Quia humanum genus, quantumvis in varios Populos, & regna diviſum, „ ſemper habet aliquam unitatem „ non ſolum ſpecificam, ſed etiam „ quaſi politicam, & moralem, „ quam indicat naturale præceptum „ mutui amoris, & miſericordiæ, „ quod ad omnes extenditur, etiam „ extraneos, & cujuſcunque nationis. Quapropter licet unaquæque Civitas perfecta, Reſpublica, aut Regnum ſit in ſe communitas perfecta, & ſuis membris conſtans; nihilominus quælibet illarum eſt etiam membrum „ aliquo modo hujus Univerſi, „ prout ad genus humanum ſpectat. Nunquam enim illæ communitates adeo ſunt ſibi ſuffi-

„ cien-

„ cientes ſingillatim, quin indigeant
„ aliquo mutuo juvamine, & ſo-
„ cietate, ac communicatione,
„ interdum ad melius eſſe, ma-
„ joremque utilitatem; interdum
„ vero etiam ob moralem neceſ-
„ ſitatem, & indigentiam, ut ex
„ ipſo uſu conſtat. Hac ergo ra-
„ tione indigent aliquo Jure, quo
„ dirigantur, & recte ordinentur
„ in hoc genere communicationis,
„ & ſocietatis. Et quamvis magna
„ ex parte hoc fiat per rationem
„ naturalem; non tamen ſufficien-
„ ter, & immediate quoad omnia:
„ ideoque aliqua ſpecialia jura po-
„ tuerunt uſu earumdem Gentium
„ introduci. Nam ſicut in una
„ Civitate, vel Provincia conſue-
„ tudo introducit Jus; ita in uni-
„ verſo humano genere potuerunt
„ Jura Gentium moribus introdu-
„ ci: eo vel maxime, quod ea,
„ quæ ad hoc Jus pertinent, &
„ pauca ſunt, & Juri Naturali val-

„ de,

Digitized by Google

„ de propinqua, & quæ facillimam „ habent ab illo deductionem, „ adeoque utilem, & conſenta- „ neam ipſi naturæ: ut licet non „ ſit evidens deductio, tamquam „ de ſe omnino neceſſaria ad honeſ- „ tatem morum; ſit tamen valde „ conveniens naturæ, & de ſe ac- „ ceptabilis ab omnibus „.

THESIS IV.

„ JUs Gentium non præcipit ali- „ quid tanquam ex ſe neceſ- „ ſarium ad honeſtatem: nec pro- „ hibet aliquid, quod per ſe, & „ intrinſece malum eſt vel abſolu- „ te, vel ſuppoſito tali ſtatu, & „ conditione rerum: ſed hæc om- „ nia pertinent ad Jus naturale, „ ac ſubinde in hoc ſenſu Jus Gen- „ tium non comprehenditur ſub „ Jure naturali „ *Suar. de Leg. l.2. c.17.*

„ 1. *Quia multa dicuntur eſſe* „ *de Jure Gentium, quæ non ha-* „ *bent*

„ *hent illam intrinſecam neceſſi-*
„ *tatem, ut diviſio rerum, ſer-*
„ *vitus, & alia, quæ infra vi-*
„ *debimus. 2. Quia Jus Gentium,*
„ *nec circa prima principia mora-*
„ *lia, nec circa Concluſiones, quæ*
„ *ex illis neceſſario inferuntur ver-*
„ *ſari poteſt; quia omnia illa ſub*
„ *proprio Jure naturali comprehen-*
„ *duntur. Præcepta naturalia, &*
„ *quæ inde deducuntur ſcripta eſſe*
„ *dicuntur a Deo in Cordibus ho-*
„ *minum, ut ſumitur ex Paulo ad*
„ Rom.2. *Præcepta autem Juris*
„ *Gentium ab hominibus introduc-*
„ *ta ſunt per arbitrium, & con-*
„ *ſenſum illorum, ſive in tota*
„ *hominum communitate, ſive in*
„ *majori parte. Ergo quæ abſo-*
„ *lute neceſſariam honeſtatem, &*
„ *intrinſecam continent, etiamſi*
„ *per plures illationes deducan-*
„ *tur, debent ad Jus naturale*
„ *ſpectare. Neque etiam dici de-*
„ *bet*

„ *bet Jus Gentium, quod compre-*
„ *hendat Concluſiones neceſſarias,*
„ *facta aliqua ſuppoſitione. Nam*
„ *multa ſunt de Jure naturali,*
„ *quæ non obligant, nec locum*
„ *habent, niſi aliqua ſuppoſitione*
„ *facta, ut præceptum non furan-*
„ *di non habet locum, niſi facta*
„ *diviſione bonorum, & dominio-*
„ *rum. Præceptum item parendi*
„ *Dominis non habet locum, ni-*
„ *ſi ſuppoſita ſervitute: Juſtitia*
„ *etiam contractuum non habet lo-*
„ *cum, niſi ex ſuppoſitione com-*
„ *mercii humani. Et ita ſunt plu-*
„ *ra alia, quæ manifeſte perti-*
„ *nent ad Jus naturale: nam ita*
„ *ſunt per ſe honeſta, ut contra-*
„ *ria probibeantur, quia mala,*
„ *& non e contrario. Licet igi-*
„ *tur Concluſio ſequatur ex Sup-*
„ *poſitione ſe tenente tantum ex*
„ *parte materiæ præcepti, ſi illa-*
„ *tio eſt evidens ex principiis per*

„ *ſe*

„ *ſe notis, talis Concluſio ad Jus* „ *naturæ pertinet, non ad Jus* „ *Gentium* „ Ibid. n.8. 9.

§. I.

De prima Juris Gentium conſtitutione.

UT æquivocatio omnis tollatur, non eſt hic ſermo de *Jure Gentium*, quod Bartolus, aliique Juriſtæ vocant Primarium, ſeu Primævum: hoc enim eſt ex ipſo *l. ex hoc jure, ff. de Juſt. & Jur.* „ illud, quod fuit eo „ ipſo, quod Gentes eſſe ceperunt, naturali „ ratione inductum abſque aliqua conſtitu- „ tione Gentium „. Siquidem hoc revera eſt Jus naturale. Sed de Secundario, quod „ eſt, quo Omnes Gentes utuntur ex Con- „ ſtitutione ipſarum „. De hoc autem aſſeritur, non includere materiam neceſſariæ honeſtatis, aut vetare aliquid intrinſece malum, facta qualibet ſuppoſitione, quamvis etiam ejus obligatio ad naturam reducatur longa, & difficili ratiocinatione. Atque hic quidem non eſt ſenſus, quod in Jure Gentium naturalis ratio nullum habeat locum: ſiquidem inde inferri poſſet, Jus hujuſmodi eſſe omnino irrationabiliter latum, quod eſt contra eſſentiam legis. Præterea colligitur ex *l. Omnes populi 9. ff. de Juſt. & Jure*, ubi Cajus ait. „ Quod vero naturalis ratio in- „ ter omnes homines conſtituit, id apud „ omnes peræque cuſtoditur, vocaturque „ Jus Gentium „ ubi Jus Gentium a ratio-

ne

ne naturali dicitur conſtitui : quia omnes homines naturali ratione ducti illud conſtituerunt . Quare Jus Gentium non dicitur præcise , quia eo utantur omnes Gentes ; ſed quia eo utantur tanquam ejus Auctores . Non aſſentior idcirco Ulrico Hubero in Jure Naturæ aſſerenti : *poſſe ſaltem in hypotheſi dari in Jure Gentium quod repugnet rationi* : nam ratio debet quodcunque Jus conſtituere . Quare ſi in Jure etiam civili requiritur aliqua ratio , quæ Voluntatem Principis moveat ; & quoad modum , ſpecialis etiam ratio , quæ conſiderat particulares circumſtantias : multo magis in Jure Gentium , ubi præcepta ſunt magis generalia , & in eis conſideratur naturæ totius utilitas , & conformitas ad prima , & univerſalia principia naturæ . Et idcirco potuit *D.Th. d. q.95. ar.4.* appellare Juris Gentium præcepta Concluſiones aliquo modo deductas ex principiis Juris naturalis : quia ex vi naturalis diſcurſus ſtatim apparet convenientia , & moralis utilitas talium præceptorum , quæ homines induxit ad tales mores introducendos magis neceſſitate exigente , quam Voluntate , ut Juſtin. dixit .

Digitized by Google

§. II.

Juris Gentium exiſtentia contra Puſend. & Barbeyr. aſſeritur.

PRopoſitionem hanc averſantur, quicunque dari aliquid ex ſe, & intrinſece malum, aut neceſſariæ honeſtatis ante legem negant. Quare Puſendorfius Jus Gentium definiturus *de J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 23.* ſubſcribit Hobbeſii ſententiæ, ajentis *de Cive c. 14.* „ Præcepta utriuſque (legis naturalis hominum, & naturalis Civitatum, quæ vulgo Jus Gentium appellatur) eadem „ ſunt : ſed quia Civitates ſemel inſtitutæ „ induunt proprietates hominum perſonales ; „ lex, quam loquentes de hominum ſingulorum officio, naturalem dicimus, adplicata totis Civitatibus, Nationibus, ſive „ Gentibus, vocatur Jus Gentium „. Tum ſubdit Puſendorfius, concedere ſe. „ Jus „ Gentium, quod ex ratiociniis indigentiæ „ noſtræ fluit „. Sed tamen negare „ aliud „ Jus Gentium voluntarium, ſeu poſitivum, „ quod quidem legis proprie dictæ vim habeat, quæ Gentes, tanquam a Superiore „ profecta, ſtringat „. Idem videtur ſentire G. Ludov. Hertzogius *in Præcognitis Juriſprud. Rom. Mathem. ordine expl.* ubi ait. „ Si Jus naturæ ad ideam Gentis accommodatur, *Jus Gentium* exoritur. Ergo Jus „ Gentium eſt Jus naturale in Gentium idea „ ſpectatum „. Verum, quoniam ſupra ſtatutum eſt, dari debere intrinſecam hanc honeſtatem, ac turpitudinem rebus ante quamlibet

libet legem: nec rurſus AA. iſti aliam proferunt rationem; idcirco eorum ſententia, collapſo fundamento, ruit. Quod ſi ideo a Puſendorfio *Jus Gentium voluntarium* excluderetur, ſicuti Leibnitzio in *ſua Cenſ. Epiſt.* §.14. viſum eſt, quod ſcilicet „ pactis mu„ tuis jus efficere gentes non poſſunt, quia „ a nullo Superiore valida redditur obliga„ tio „ in eo caſu reſpondet Leibnitzius ipſe, argumentum hoc nimis probare „ ſcilicet „ nec conſenſu, & pactis homines Superio„ rem ſibi conſtituere poſſint; cujus con„ trarium ipſe Hobbeſius agnovit „. Rurſus negari deberent Jura conſuetudine introducta, quæ quidem in Civitatibus plura ſunt. Nec ſane verum eſt, quod contra Leibn. ſubdit Barbeyracius „ unicuique liberum re„ linqui, ut declaret, nolle ſe receptam „ conſuetudinem ſequi „. Non enim in arbitrio ſingulorum relinquitur Juri vel ex uſu, & conſuetudine communi recepto refragari.

§. III.

Idem Jus Gentium ab Heineccii objectionibus vindicatur.

Heineccius etiam, licet actiones ex ſe, & ante quamlibet legem dari bonas, aut malas aſſeruerit; nihilominus *de J. N. & G. l.*1. §.21. & 22. non diſtinguit a Jure Naturali Jus Gentium: ſic enim habet §.21. „ Quum præterea Jus naturæ eas complecta„ tur leges, quæ univerſo generi humano „ per rectam rationem ſunt promulgatæ; „ ho-

„ homines autem , vel ſinguli ſeorſum , „ vel prout in certas Societates convaluerunt , conſiderari poſſint : Jus quo ſingulorum actiones reguntur , *Naturale* ; „ quod, quid in Societatibus, & inter eas „ juſtum , injuſtumque ſit , præcipit, *Jus* „ *Gentium* vocamus ; adeoque eadem Juris „ utriuſque ſunt præcepta , eædem leges : „ quinimo *Jus Gentium* eſt ipſum Jus naturale vitæ hominis ſociali , negotiiſque „ Societatum , atque integrarum gentium „ adplicatum „. Et §.22. „ Ex quo colligimus , Jus naturæ a Jure Gentium nec „ principio cognoſcendi, nec ipſis regulis, „ ſed ſolo objecto differre: adeoque rationem eos fugere , qui neſcio quod *Jus* „ *Gentium* , a jure naturæ diverſum ſibi „ fingunt . *Jus Gentium poſitivum* , *vel ſecundarium* quod Veteres commenti ſunt , „ proprie huc non pertinet , quum nec a „ Deo conſtitutum , nec per rectam rationem promulgatum , nec univerſo generi „ humano commune, nec denique immutabile ſit „ .

Quod Jus illud dictans leges a Deo conſtitutas , per rectam rationem promulgatas, omnibus hominibus communes , & immutabiles, velit Heineccius appellare unice Jus Gentium ; quod quidem Veteres appellabant Jus Gentium primarium : & nos diximus etiam eſſe veriſſimum Jus naturæ : eſt quæſtio de mero nomine, nec longo digna examine . Verum quod aſſerat , nulla ratione duci, qui Jus Gentium a Jure naturæ diver-

ſum aſſerunt , & Jus Gentium poſitivum eſſe commentitium , hoc imperiti hominis eſt, & nimium ſibi tribuentis. Non enim hujus Auctoris, atque ejuſdem furfuris alterius voces optimum illud a Suarez, aliiſque etiam Proteſtantibus cum Ulrico Hubero deſignatum diſcrimen infringunt : neque ſufficit , ut ipſe autumat , *unice objectum* ad Juris utriuſque differentiam : cum idem omnino dici debeat Jus, quo leges traduntur aliquibus, ac quo traduntur omnibus. Siquidem ex eo , quod quis communitatem alloquatur , diverſus dici a ſeipſo non debet, ac quando ſingulos communitatis alloquitur. Deinde falſum omnino eſt , Jus Gentium poſitivum a Deo non proficiſci, modo ſcilicet eo, quo leges poſitivæ oriuntur. Tandem errat etiam Heineccius, dum a Jure Gentium poſitivo rectam rationem ablegat . Unde pluribus capitibus Heineccius fallitur.

§. IV.

Grotii in Jure Gentium cum Catholicis conſenſio : & mala Barbeyracii cenſura.

HAud ita vero ratiocinatur Grotius, qui de *Jure Gentium* conformem ſuis principiis dat notionem. Diſtinguit Jus naturale a Jure Gentium per ea , quæ intrinſecam habent bonitatem , vel malitiam. *Jus* autem *Gentium* , ait *De J. B. & P. l.*1. *c.*1. §.14. „ vim habet obligandi a Volun„ tate

„ tate Populorum , aut ſaltem plerorum-
„ que. Dixi *plerorumque*: nam excepto Ju-
„ re naturali, quod dicitur etiam Jus Gen-
„ tium, nullum inveniri licet aliud Jus,
„ quod commune ſit omnibus omnino Na-
„ tionibus. Sæpe etiam id, quod Jure Gen-
„ tium eſt in una terræ regione, haud eſt in
„ alia; quemadmodum oſtendemus loco ſuo
„ *De captivis in bello, & de Jure poſtli-*
„ *minii* „ optime quidem ratiocinatur quoad
hoc, & ferme eadem dixerat Suarezius:
tum ſubdit. „ Jam vero *Jus Gentium* eo-
„ dem modo aſſeritur ac *Jus civile non*
„ *ſcriptum* ſcilicet a perpetua praxi, & teſ-
„ timonio peritorum. Siquidem, ut opti-
„ me notat Orator Dio Chryſoſtomus(*orat.76.*
„ *de conſuet.*) *Hoc Jus eſt opus temporis,*
„ *atque uſus*. Atque inde fit, ut Hiſtoriæ
„ celebriores magno hic ſint emolumento „.
Hæc autem cum bene ſtatuat Grotius, quæ
profecto a Catholicis Scriptoribus hauſit:
quid mirum, quod Barbeyracii cenſuram
ſubierit, hominis ſcilicet perverſe bona omnia
tuentis. In notis igitur ad Grotium hic
ait. „ Jus hoc Gentium poſitivum, & diſ-
„ tinctum a Jure naturali eſſe meram chy-
„ mæram „ citatque Puſendorfii locum,
ſuaſque inibi notas. Tum ſubdit quamdam
veluti rationem, quod nimirum „ dentur
„ leges omnibus Gentibus communes, ſeu
„ actiones, quas debent exequi Gentes om-
„ nes, & invicem ſervare; verum cum &
„ Populorum conſenſus nequeat eſſe obli-
„ gationis fundamentum, ad illas ſervan-

„ das, nec rurſus de ipſiſmet legibus id
„ poſſit eſſe verum ; ſequitur conſequen-
„ ter, Juris illius, præcepta, & leges non
„ differre proprie a legibus, & præceptis
„ Juris naturalis, niſi tantum in applica-
„ tione, quæ diverſa eſſe poteſt ex diver-
„ ſa ſocietatum ratione in mutuis erga ſe
„ officiis „. Sed & Barbeyracii aſſertio contra Grotium falſa eſt, ut conſtat ex dictis, & ejus ratio probabilitate deſtituitur. Siquidem, quod omnes Gentes, quatenus unam efficiunt communitatem totius humani generis, obligare ſingulos non poſſint ad ea, quæ toti humano generi utilia ſunt, undenam probat Barbeyracius? Sane in confeſſo eſt apud omnes, civitates poſſe obligare etiam uſu, & conſuetudine ſingulos ad ea, quæ toti civitati utilia ſunt; & regnum ad ea, quæ toti regno conveniunt: quare igitur & idem dici non poteſt de omnibus reſpectu ſingulorum? Ita autem ad aliqua voluiſſe obligare, traditione compertum eſt, & ſuam voluntatem nutibus, verbis, uſu, & moribus, aliiſve ſignis explicuiſſe, præſertim in mundi exordio, quando propter hominum paucitatem, & amorem mutuum facile erat, omnes, aut majorem hominum partem in ea voluntate ſenſim, ac paulatim convenire, & aliquo modo eam promulgare, & conſuetudine ipſa denuntiare. Quare uſu potuit hoc Jus paulatim introduci, & per ſucceſſionem, & imitationem mutuam populorum ſine ullo ſpeciali conventu, vel conſenſu omnium populorum
uno

uno tempore facto potuit obtinere . Eſt enim hoc Jus tam propinquum naturæ, tamque nationibus omnibus conveniens, earumque expediens ſocietati; ut fere naturaliter propagatum fuerit cum humano ipſo genere: & ideo ſcriptum non eſt, quia a nullo Legislatore dictatum, ſed uſu convaluit. Quod autem plura dentur ex his legibus, quæ a mera hominum voluntate dependent, patet ex iis, quæ infra dicemus. Sic rerum diviſio, & ſedium occupatio, ædificatio, & munitio, aliaque exempla Juris Gentium refert Iſidorus 6. Etym. *cap.6.* Rurſus Jure Gentium dicitur licitus tranſitus innoxius per alienas terras, & maria ad ſua negotia peragenda; ſic enim conceſſa intelligitur Jure Gentium rerum diviſio. De hoc exemplum habemus Numer.*c.*20.& 21.ubi Iſrael Regi Edon promiſerat, non ſolum ſe non declinaturum neque in agros, neque in vineas, ſed via regia progreſſurum, verum etiam ſi qua re opus habuiſſet, juſtum pretium eſſe ſoluturum: cum vero denegatus fuiſſet tranſitus, bellum indictum eſt, quod injuria intelligebatur illata Iſraeli. Legati etiam J. G. Sancti eſſe ſolent: unde apud Liv. *l.*2. Senator Cartaginienſis increpat, ab ſociis, & pro ſociis venientes legatos ab Imperatore in caſtra non fuiſſe admiſſos, juſque Gentium ſublatum. Item ut Filii in bonis Parentum ſuccedant ab inteſtato, ubi aliud ſpeciali lege cautum non ſit; atque alia, quæ recenſentur *l. ex hoc ff. de Juſt. & Ju-*

re. Super quæ *vid. Turrecrem. c. Jus Gentium d. l. art.6.* Sed de hujuſmodi exemplis ad J. G. ſpectantibus infra.

CAPUT DUODECIMUM

De convenientia, & diſconvenientia inter Jus naturæ, & Jus gentium

THESIS I.

„ NOn recte diſtinguitur Jus „ Gentium a Naturali, quia „ unum conceſſivum tantum ſit, „ & aliud præceptivum, Nam vel „ utrumque membrum in utroque „ Jure reperitur, vel ſi præceptum „ naturale eſt, etiam conceſſio, „ illi cum proportione reſpondens „ ex ipſo jure naturali naſcitur.„ *Suar. de Leg. l.2. c.18.*

„ *In Jure naturali multa ſunt, „ quæ honeſte fieri poſſunt ex vi „ legis naturalis, quæ non præ- „ cipiuntur, nec contraria prohi- „ bentur: & ita etiam dari po- „ teſt Jus naturale conceſſivum, „ quale eſt Jus ducendi Uxorem,*

„ *Jus*

„ *Jus retinendi, & conſervandi*
„ *propriam libertatem: hoc enim*
„ *honeſtum eſt, & illud Jus na-*
„ *turæ concedit, non præcipit.*
„ *Rurſus nunquam ſeparatur Jus*
„ *conceſſivum ab omni jure præ-*
„ *cipiente, vel prohibente: [ideſt*
„ *ſi uni aliquid licet, & conce-*
„ *ditur, alter tenetur non impe-*
„ *dire] & in præſenti materia,*
„ *ſi unum ſit Juris Gentium, etiam*
„ *alterum: vel ſi unum eſt Juris*
„ *naturalis, etiam aliud, quod pa-*
„ *tet exemplis* „ Ib. n.3. 4. 9.

THESIS II.

„ JUs Gentium convenit cum
„ Jure naturali in eo, quod
„ utrumque ſit aliquo modo com-
„ mune tantum hominibus „ *Suar.*
De Leg. l.2. c.17. 19.

„ *Nam de Jure Gentium hoc eſt*
„ *certum. De Jure autem natu-*
„ *rali, licet a Juriſperitis hoc*
„ *dicatur eſſe commune Brutis;*

„ *adhuc non niſi materialiter hoc*
„ *illis aptatur, quoad operationes*
„ *mere ſenſitivas: at Jus Natu-*
„ *rale, ut habet propriam ratio-*
„ *nem legis, non fundatur in ra-*
„ *tione naturæ ſenſitivæ, ut com-*
„ *munis eſt brutis Animalibus;*
„ *ſed in ratione naturæ elevatæ*
„ *per differentiam rationalem. Lex*
„ *enim naturalis regulatur per*
„ *convenientiam cum natura ra-*
„ *tionali: & quando reſpicit con-*
„ *ſervationem naturæ ſenſitivæ,*
„ *ſemper involvit modum ratio-*
„ *nalem: unde multa probibet*
„ *uno modo, vel abſolute homi-*
„ *nibus, quæ non probibet Bru-*
„ *tis: ut conſtat de Matrimonio,*
„ *de educatione Filiorum, de con-*
„ *ſervatione propriæ vitæ, de*
„ *vago concubitu, ſeu ſimplici*
„ *fornicatione, de conjunctione*
„ *cum Matre, vel Sorore, & ſi-*
„ *milibus, quæ quidem Brutis*
„ *non probibentur. Rurſus mul-*

„ *ta*

„ *ta præcipit*, *quæ aptari non* „ *poſſunt Brutis*, *ut præceptum* „ *colendi Deum*, *honorandi Pa-* „ *rentes*, *&* *Proximum* „ Ibid.

§. I.

De Jure Gentium apud Juris conſultos.

INde profecto accidit, ut inter Scriptores ſæpiſſime, & aliquando apud Juriſconſultos, non fiat expreſſa Juris Gentium a Jure Naturæ diſtinctio. Hoc advertit Paradulphus Pratejus in *lex.Jur. V. Jus* ubi ait „ Illud „ diligentiſſime obſervandum eſt, quod ignoratum multis erroris cauſam dedit, Jus „ Gentium alias accipi a Juriſconſultis pro „ vero naturæ Jure, alias pro eo Jure, „ quod plurima hominum pars ubique re- „ cepit. Quod niſi recte diſcernas, nun- „ quam pervenies ad veram Juris cognitio- „ nem „. Hinc optime intelligitur, quod ajebat *Cic.* 1. *Tuſcul.* „ omni in re conſen- „ ſio Gentium jus Naturæ putanda eſt „ ſcilicet ita ſervari debet, quaſi eſſet Jus naturæ, vel ſi vis, eſt argumentum velut a poſteriori, licet non univocum, ad inferendum Jus naturæ, Conſenſio Gentium: dixi *non univocum* etiam penes ipſum Cicer. qui *L.2. de Invent.* „ Naturæ Jus eſt, *ait*, quod „ non opinio genuit, ſed quædam innata „ vis inſeruit, ut Religionem, Pietatem, „ Gratiam, Vindicationem, Obſervantiam, „ & Veritatem „. Unde ſequitur, eſſe quid

 diver-

Digitized by Google

diverſum ab illo Jure, quod non ſit inſertum a natura ſola, ſed potiſſimum ab opinione, & conſenſu hominum.

Illud autem non eſt diſſimulandum, Juriſperitos communiter diſtinguere Jus Gentium a Jure Naturali in hoc: quod Jus naturale commune dicant etiam Brutis animantibus, ſecus vero Jus Gentium. Sed hanc diſtinctionem, niſi commoda accedat explicatio, merito alii reprehendunt cum Laurentio Valla *l.4. elegant. c.48.* Explicatio autem de Jure naturæ communi Brutis eſt, vel quia Natura, ut ait *Cic. de fin. lib.2.* etiam Beſtiis motum conceſſit, & cum quodam appetitu acceſſum ad res ſalutares, a peſtiferis receſſum: quemadmodum dedit hominibus, quibus ſuperaddidit rationem: vel ex alio titulo, prout apud Suarezium ipſum habemus. Verum ſi accipitur Jus naturale pro lege rigoroſe tali, illud concedi alteri a Rationalibus Creaturis non debet.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De proprietatibus Juris Gentium.

THESIS I.

„ JUs Gentium, quatenus con-
„ tinet præcepta affirmativa,
„ non infert neceſſitatem rei præ-
„ ceptæ ex ſola rei natura per evi-
„ dentem illationem ex principiis
„ natu-

„ naturalibus : & in hoc differt a „ Jure Naturali „ *Suar. de Leg. l.2. cap.19.*

„ *Quia quidquid eſt hujuſmo-„ di , naturale eſt , ut conſtat ex „ dictis . Unde neceſſe eſt , ut aliun-„ de oriatur talis neceſſitas* „ Ib. num.2.

§. I.

Cauſa Juris Gentium conſtituendi.

HInc optime Juſtin. in illo §. *Jus autem Gentium* ſic tradit „ Jus autem „ gentium omni humano generi commune „ eſt : nam uſu exigente , & humanis ne-„ ceſſitatibus , Gentes humanæ jura ſibi quæ-„ dam conſtituerunt „ cauſa enim ad hæc Jura conſtituenda adnotatur uſus legem exigens , & humana neceſſitas : quare leges poſitivæ non debent niti principiis mere naturalibus , quia ſic aliunde vim ſuam nanciſcerentur .

THESIS II.

„ JUris Gentium Præcepta nega-„ tiva non prohibent aliquid , „ quia per ſe malum ſit : & in hoc „ differt a Jure naturali „ *Suar. de Leg. l.2. c.19.*

Digitized by Google

„ *Id enim eſt etiam mere natu-*
„ *rale , ut conſtat ex dictis* „ Ib.

§. I.

Finis Juris Gentium .

EX eo , quod homines ad vitam commodius ducendam obſervarunt , quædam noxia eſſe, quædam vero maxime utilia ad commune bonum promovendum ; conſuerunt non minus hæc præcipere , quam illa vetare . Atque hìc repetere juvat , Naturæ Jus proprie , & directe non reſpicere quidquid ad humanam conjunctionem , & ſocietatem tuendam conducit . Si enim Adam ſine ſocio vixiſſet , etiam ſecundum naturæ Jus vixiſſet . Et Cicero de offic. putat , hominem a ceteris ſegregatum non niſi honeſta cogitare , & agere oportere . Jus vero Gentium reſpicit proprie homines inter ſe ſocietate conjunctos , illoſque effectus producit , quos ipſi homines rationabiliter ad communitatem promovendam conducentes adverterunt .

THESIS III.

„ JUs Gentium non eſt tantum
„ oſtenſivum malitiæ, ſed con-
„ ſtitutivum ex parte humanæ ra-
„ tionis „ *Suar. de Leg. l.2. c.19.*
„ *Ex eo , quod non prohibet ma-*
„ *la*

„ *la, quia mala ſunt, ſed prohibendo facit eſſe mala*„ Ibid.

§. I.

Diſcrimen Juris gentium a Jure naturali.

QUod revera differat a J. N. Jus Gentium, patet ex eo, quod Jus Gent. aliqua in ſe mala permittat, ſeu non puniat: quando nimirum ipſa permiſſio putatur adeo neceſſaria juxta hominum fragilitatem, & negotiorum conditionem, ut in ea ſervanda omnes fere Nationes concordent. Hujuſmodi eſſe videtur permiſſio Meretricum, & permiſſio alicujus deceptionis in contractu, quæ non ſit enormis. Sic in J. Civili, quod per ſimilitudinem, & convenientiam dicitur etiam Jus Gentium *l. in cauſæ §. idem Pomponius ff. de minor.* adjuncta Gloſſa. Nam dicitur in textu, *naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire in pretio emptionis, & venditionis.* Ubi Gloſſa exponit: *Naturaliter*, ideſt de Jure Gentium. Alioqui autem explicant illud *licere* in ordine ad humanum judicium, ſcilicet impune fieri: alii vero explicant illud *circumvenire*, non per deceptionem ex dolo, & fraude, ſed ut ſignificat humanam ſolertiam, & artem, quæ datur inter Emptorem, ut minoris emat, & Venditorem, ut pluris vendat, ſed intra latitudinem juſti pretii: ſicut habet Sapiens *Prov* 20. „ Malum eſt, malum eſt, dicit omnis Emp-

„ tor,

„ tor, & cum receſſerit, gloriatur„. Verum in utraque acceptione ſemper continet aliquid juxta naturalis Philoſophiæ ethicam minus honeſtum. Sane Cicero *l. De offic.* 3. *c.* 8. *&* 9. ſimiles proponit quæſtiones „ Si „ vir bonus Alexandria Rhodum magnum „ frumenti numerum advexerit in Rhodio- „ rum inopia, & fame, ſummaque anno- „ næ caritate: ſi idem ſciat, complures „ mercatores Alexandria ſolviſſe, naveſque „ in curſu frumento onuſtas petentes Rho- „ dum viderit; dicturus ne ſit id Rhodiis, „ an ſilentio ſuum quamplurimo venditu- „ rus? Vendat ædes vir bonus propter ali- „ qua vitia, quæ ipſe norit, ceteri igno- „ rent? Quæro, ſi hoc emptoribus vendi- „ tor non dixerit, ædeſque vendiderit plu- „ ris multo, quam ſe venditurum putarit; „ num id injuſte, atque improbe fecerit?„ Tum in utramque partem rationes expendens ſubdit „ Non igitur videtur nec Fru- „ mentarius ille Rhodios, nec hic ædium Venditor celare Emptores debuiſſe. Neque „ enim id eſt celare, quidquid reticeas: „ ſed cum, quod tu ſcias, id ignorare emo- „ lumenti tui cauſa velis eos, quorum in- „ terſit id ſcire. Hoc autem celandi genus „ quale ſit, & cujus hominis, quis non vi- „ det? Certe non aperti, non ſimplicis eſt, „ non ingenui, non juſti, non viri boni; ver- „ ſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, ma- „ litioſi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc „ tot, & alia plura non utile eſt vitiorum „ ſubire nomina.„

THE-

THESIS IV.

„ JUs Gentium non eſt tam im-
„ mutabile, ſicut Jus Natura-
„ le „ *Suar. de Leg. l.2. c.19.*
„ *Immutabilitas oritur ex ne-*
„ *ceſſitate: ergo, quod non eſt æque*
„ *neceſſarium, non poteſt eſſe æque*
„ *immutabile* „ Ibidem.

§. I.

Exempla mutationis factæ in J. G.

FUiſſe in J. G. factam mutationem, aſſerunt Aragonienſis, Salon, & Bannes apud Salas *De leg. q.91. tr.14. diſp.2. ſect.3.* Scilicet, quod rerum diviſio ſublata fuerit inter Chriſtianos in primitiva Eccleſia, & modo inter Religioſos. Captivi Chriſtiani, capti ab aliis Chriſtianis, ſervi non fiunt, ut patet *l. hoſtes ff.* de *Captivis*. Verum hæc non facta ſunt licita per diſpenſationem, ſi recte advertantur: nam jure Gentium non prohibetur rerum communitas, ſed conceſſa eſt diviſio, & data facultas omnibus hominibus, ut paulatim res ſibi proprias facerent, eligendo agros, quos colerent, loca ubi ædificia conſtruerent, & ſimilia: non tamen prohibiti ſunt omnia ad communitatem reducere, ut in ſtatu Innocentiæ, & initio mundi fuerunt. Similiter licet

Digitized by Google

licet Jure gentium conceſſum fuerit, ut in bello juſto capti poſſent fieri ſervi; tamen non eſt prohibitum gerentibus juſtum bellum ſe expoliare hoc jure, vel ſimpliciter, vel etiam erga aliquas Perſonas bello captas. Quare non eſt hoc probandum in Jure Gentium, quatenus conceſſivum eſt; ſed de jure Gentium, quatenus prohibitionem, ſeu præcepta continet. Ut autem in hoc fiat hujuſmodi mutatio, (quæ tamen vi materiæ non repugnat, ubi res prohibitæ jure gentium ſimpliciter non ſunt malæ de ſe, & intrinſece; nec præcepta inferuntur per neceſſariam, & evidentem illationem ex principiis naturalibus; nec obligatio oritur ex ſola ratione ſine aliquo modo obligationis humanæ..) adhuc opus eſt, ut nationes omnes conſentiant, vel ut paulatim introducatur conſuetudo contraria, & prævaleat: quod quidem moraliter vix eſt poſſibile, ſed tamen non repugnat. Poteſt etiam alio modo fieri, ut ſi aliqua communitas præcipiat, ut inter partes ſuas, & membra ſua tale Jus Gentium non ſervetur: & hic modus eſt poſſibilis. Non autem mutari poteſt Jus Gentium ſaltem quoad moralem poteſtatem, & uſum hominum, nec rurſus in toto: ut ſcilicet a toto humano genere auferatur collectio præceptorum J. G. ex hominum conventione: ſed ea, quæ ſunt Juris Gentium poſſunt utique in una, vel altera parte diminui.

THE-

Digitized by Google

THESIS V.

„ IN iis etiam , in quibus Jus „ naturale , & Gentium vi„ dentur convenire , omnimodam „ ſimilitudinem non habent „ . *Suar. de Leg. l.2. c.19.*

„ *Nam in univerſalitate , & „ communitate ad omnes Gentes „ Jus naturale omnibus eſt com„ mune , ſolumque* per errorem „ *poteſt alicubi non ſervari : Jus „ autem Gentium non ſemper omni„ bus , ſed regulariter , & fere „ omnibus commune eſt , ut Iſidor. „ loquitur . Unde* ſine ullo errore „ *poteſt alicubi non ſervari , quod „ apud alios de Jure Gentium eſſe „ cenſetur . Item licet Jus Gentium „ regulariter verſetur in materia „ propria hominum ; aliquando „ poteſt aliquid diſponere in ma„ teria communi brutis animali„ bus : ut in permittendo vago „ concubitu , vel in repellenda vi , „ quatenus aliquo modo foveri ,*

„ *vel*

Digitized by Google

„ *vel determinari poteſt. Eſt er-*
„ *go Jus Gentium ſimpliciter di-*
„ *verſum a naturali, præſertim*
„ *ratione primi diſcriminis* „. Ib.

§. I.

Facilior Juris gentium, quam Juris naturalis ignorantia.

QUamquam apud Hiſtoricos plura referantur a Populis fieri, quæ contra clariora honeſtatis principia ſunt; ea tamen vel in dubium ab aliis revocantur; vel etiam negantur, vel aliquo modo limitantur. Sic quæ narrat Blekerius de Irlandiæ Populis, ſive quæ ad ſortilegia, ſive quæ ad impudicitiam ſpectant, confutat egregie Argrimus Jonas Irlandus natione, qui floruit ſæc. XVI. & XVII. Alia etiam, quæ memorantur contra Germanos relata a Sexto empirico Hypoth. *l.* 3. *c.* 24. coarguit illico Pufendorfius *De J. N. & G. l.* 2. *c.* 3. §. 8. „ id adeo inficetum mendacium eſt, „ ut mirum ſit, quomodo illud in mentem „ venire potuerit ulli, qui vel minimam „ notitiam iſtius nationis habuerit „. Negari autem non poteſt, poſt culpæ originalis tenebras humanæ menti offuſas, ex prava, & aſſidua conſuetudine, & inſtitutione adeo aliquando lumen naturale involvi, ut videantur Gentes obruteſcere. Sic Cicero *Tuſcul. lib.* 5. *cap.* 27. *ait* „ Ægyptiorum „ imbutæ mentes pravis erroribus quam-
„ vis

„ vis carnificinam prius ſubierint, quam „ ibim, aut aſpidem, aut ſelem, aut ca„ nem, aut crocodilum violent; quorum „ etſi imprudentes quippiam fecerint, pœ„ nam nullam recuſent „ Et *S. Aug. l.3. de Doctr. Chriſt. c.8.* „ Fit plerumque, ut „ quiſque hominum ea tantum culpanda ar„ bitretur, quæ ſuæ regionis, ac temporis „ homines vituperare, atque damnare con„ ſueverunt: & ea tantum probanda, at„ que laudanda, quæ conſuetudo eorum, „ cum quibus vivit, admittit „: Hæc autem diverſimode reprobantur a ſanæ mentis hominibus, ſi contra Jus naturale patrata fiunt, ac ſi contra Jus Gentium tantum: nam nemo dicet de aliqua Juris gentium lege ob conſuetudinem abrogata id, quod bene Pufendorfius de conſuetudine contra legem naturæ dixit *ib. §.9.* „ Haudquaquam „ adſuetudini eas vires tribuimus, ut ra„ tionis judicium eo uſque detorquere, ac „ depravare queat; quo ipſi impoſſibile ſit, „ veritatem circa leges naturales perſpicere.

THESIS VI.

„ JUs Gentium ſimpliciter eſt „ humanum, ac poſitivum, *Suar. l.2. c.19.*

„ *Lex ſufficienter dividitur per* „ *naturalem, & poſitivam pro*„ *prie dictam; vel per divinam,*

„ *& hu-*

„ *& humanam ab Auctore utramque denominando: quia utraque membra immediatam contradictionem involvunt, ut conſtat. Sed oſtenſum eſt, legem Juris Gentium non eſſe naturalem proprie, & in rigore, & conſequenter non eſſe divinam; ergo neceſſe eſt, ut ſit poſitiva, & humana. Rurſus Lex naturalis eſt, quam non opinio genuit, ſed naturalis evidentia, ut Cicero dixit. Ergo omnis Lex, quæ non hoc modo generatur, poſitiva eſt, & humana. Tale autem eſt Jus Gentium: quia non per evidentiam, ſed probabilitatem, & communem æſtimationem hominum introducitur. Ergo* „. Ibid. n. 3. 4.

I. Est veluti corollarium, quod ex ſtatutis propoſitionibus optime deſcendit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMQUARTUM

De differentia inter Jus Gentium, & civile

THESIS I.

„ JUs Gentium non differt a Ju-
„ re Civili per hoc, quod hoc
„ ſit Jus unius Civitatis, aut Re-
„ gni: Jus autem Gentium ſit
„ omnibus Gentibus commune „.
Suar. de Leg. l.2. c.19.

„ *Licet omne Jus poſitivum ab*
„ *hominibus poſitum in ordine ad*
„ *gubernationem pure politicam*
„ *vocet Ariſtoteles* Legitimum 5.
„ Ethic. c.7. *& illudmet videatur*
„ *poſſe vocari civile, ut ſumitur*
„ ex Iſid. 5. Etymol. c.1. & ſentit
„ D. Th. 1. 2. q.95. *adhuc nihilo-*
„ *minus dicendum eſt, utrumque*
„ *differre: non vero per traditam*
„ *differentiam. Nam* 1. *hæc diffe-*
„ *rentia ſolum videtur ſecundum*
„ *magis, & minus, & valde ac-*
„ *cidentalis.* 2. *Et difficilius,*

„ *quia*

„ *quia videtur impoſſibile, Jus Gentium, commune omnibus Gentibus, introductum eſſe voluntate, & opinione humana, quemadmodum dicitur de Jure unius Civitatis, aut Regni. Quia in his, quæ ab opinione, & arbitrio hominum pendent, impoſſibile videtur, omnes Nationes convenire. Nam hoc eſt hominum ingenium, ut quot ſunt capita, tot fere ſint placita, & opiniones. Ergo vel Jus Gentium non eſt humanum, vel non poteſt in eo a Civili differre* „. Ibid. n.5.

I. JUs Civile dici etiam ſolet aliquando Jus Gentium, late ſcilicet ſumpto vocabulo: & viceverſa ob aliquam convenientiam Jus Gentium dici etiam poteſt Jus Civile.

THESIS II.

„ PRæcepta Juris Gentium in hoc differunt a præceptis Juris Civilis, quia non ſcripto, ſed moribus, non unius, vel alte-

„ rius

„ rius Civitatis , aut Provinciæ, „ ſed omnium, vel fere omnium „ nationum conſtat „. *Suar. de Leg. l.2. c.19.*

„ *Jus humanum duplex eſt, ſcilicet ſcriptum, & non ſcriptum, „ ut tradunt Jura. Conſtat autem, Jus Gentium ſcriptum non „ eſſe: & ita in hoc differre ab „ omni Jure civili ſcripto, etiam „ imperiali, & communi. Jus autem non ſcriptum moribus conſtat: quod ſi ſit unius Gentis „ moribus introductum, & illam „ tantum obliget, dicitur etiam „ Civile; ſi vero introductum ſit „ moribus omnium Gentium, & „ omnes obliget, hoc credimus „ eſſe Jus Gentium proprium: quod „ & differt a naturali, quia non „ naturæ, ſed moribus innititur, „ & a Civili etiam diſtinguitur „ in origine, fundamento, & univerſalitate, modo explicato* „. Ibid. n.6.

§.I.

tuum contractum, ut vult *Heinec. lib.*1. §.80., reducuntur. Fieret enim contra Jus Naturæ, ſi alio pœnæ genere hoſtes hujuſmodi plecterentur. Fædera etiam ſine rationabili cauſa denegare, videtur eſſe contra Jus Gentium, quo nimirum decretæ ſunt conditiones, & tempora. *Vid. Heinec. lib.*2. §.210. *& Puſendorf. De Jure Naturæ, & Gentium lib.*8. *cap.*8. §.7.

PARS POSTERIOR

DE OFFICIIS JURIS NATURÆ, ET GENTIUM.

„ JUris naturæ officia quædam verſantur „ circa Deum, quædam circa Proximum, „ quædam circa ipſummet hominem „. *Suar. De Leg. l.2. c.8.*

Scholion. Ne in molem ingentis voluminis liber excreſcat, ac nobis illud *Leibn. Præf. eod. J. G. diſpl.* objiciatur. „ Juris „ Doctrina certis a natura incluſa limiti- „ bus, humano ingenio in immenſum diſ- „ fuſa eſt „. Rurſus ut continenti quadam ſerie percurrantur officia Juris Naturæ,& Gentium, idcirco utemur alia ratione, ac in explicandis Principiis uſi ſumus. Proinde ea ex Suarezio noſtro paucis indicare ſufficiat, breviſſimis in loco additis commentariis. Uſurpatam a Suarezio partitionem, quam ſequuti ſunt complures etiam ex Proteſtantibus, in Apoſtoli quidem verbis fundatam, *ut Sobrie, Juſte, & Pie vivamus*, in officiis proponendis ſervare juvat.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM

DE OFFICIIS ERGA DEUM

§. I.

De Fide.

I. „ LEx naturalis obligat hominem ex „ ſolo naturali lumine ad habendam, & procurandam veram Dei cognitionem. Suar. De Fide *p.*2. *diſp.*13. *ſect.*1. *num.*4.

II. Rurſus obligat hominem, prout nunc „ eſt ad finem ſupernaturalem elevatus, ad „ habendam veram interiorem Fidem in „ Deum „. *Suar. Ib. n.*5.

Scholion. Officia erga Deum a Proteſtantibus J. N. Scriptoribus, vel omnino omiſſa, vel jejune ſatis pertractata, ſuo quæque loco diſpoſita hìc exhibemus. Ad Fidem quod ſpectat, obligatio hæc non tantum eſt in ſtatu naturæ lapſæ; ſed etiam in ſtatu Innocentiæ: imo fuit in ipſis Angelis pro ſtatu viæ.

III. „ Obligat etiam ad non repugnandum „ Fidei, ſemel ſufficienter propoſitæ, nec ad „ recedendum a Fide ſemel ſuſcepta, neque „ ad dubitandum, aut formidinem admittendam „: *Ib. n.*6. & 7.

Scholion. Qui nolit mandatum Regis, illi ſufficienter propoſitum ſuſcipere, tanquam præceptum regium, injuriam facit Regi. Eadem injuria, naturali rationi contraria, irrogaretur Deo, ſi ſecus fieret. Idem de certitu-

Digitized by Google

titudine fundata in Deo, qui prima, & infallibilis veritas eſt, etiam ex lumine naturali.

IV. Obligat ad credendum ea, quæ ſufficienter, ut credenda, & credibilia proponuntur„. *Ib. n.8.*

V. „ Obligat infidelem, ubi incipiet animi ſtimulos ſentire, ad veritatem inquirendam „. *Ib. n.9.*

Scholion. In lege nova addidit Chriſtus ſpecialem neceſſitatem Fidei, quæ quidem, ſpectata inſtitutione, dici poteſt *poſitiva*: poſita autem inſtitutione divini Legislatoris, dici poteſt *connaturalis* huic ſtatui.

§. II.

De Spe.

I. „ SIcut obligatur homo ad inquirendam veram cognitionem Dei ex naturali ratione; ita ad ſperandum ab illo aliquod bonum, & timendum aliquod malum „. *Suar. De ſpe diſp.2. ſect.1. num.6.*

II. „ Tenentur omnes lege naturæ bene ſentire de divina Providentia, cujus eſt reddere virtuti præmium, & vitiis pænam „. *Ib.*

Scholion. Ex *Clem. Alexandr. l.4. ſtrom. in fin. & l.5. in princ.* habemus, antiquos Philoſophos cognoviſſe, & commendaſſe ſpem præmiorum poſt mortem. Rurſus ex tali ſpe moventur homines ad cultum præſtandum Deo auctori naturæ, ad virtutes exercendas, ad

Digitized by Google

ad vitia fugienda ; quæ omnia ſpectant ad legem naturæ .

III. „ Denique tenetur homo lege na-
„ turæ tendere in Deum , ut ultimum fi-
„ nem , in eoque ponere ſuam beatitudi-
„ nem , illamque intendere per debita me-
„ dia „ . *Ib.*

Scholion. Perfectior multo eſt uſus Spei in lege Evangelii tum quoad modum ſperandi gloriam , tum quoad media ſupernaturalia , ſcilicet Sacramenta . Hæc autem perfectio , & obligatio ſequitur naturaliter , poſita perfectione Fidei circa Chriſtum , & Redemptionem ejus , & tali inſtitutione Sacramentorum .

§. III.

De Caritate .

I. „ PRæceptum diligendi ſuper omnia
„ Deum , ut finem Naturæ , naturale
„ eſt : nam ad hunc amorem homo natura ſua
„ inclinatur , quem , ut habet *D. Th.* 1. 2.
„ *q.*94. dictat lex naturæ „ . *Suar. De car. diſp.*1. *ſect.*5. *n.*3. *& diſp.*5. *ſect.*1. *n.*2.

II. „ Sicut tenetur lege naturæ cogno-
„ ſcere Deum ; ita tenetur illum amare , aut
„ ſupra ſe , aut infra ſe , aut æque : non his
„ duobus modis , cum nihil inordinatum di-
„ cat lex naturæ ; ergo ſuper omnia „ . *Ib. Diſp.*5. *ſect.*1. *n.*2.

Scholion. Unde ſequitur , in lege naturæ dari potuiſſe peccatum grave , contrarium videlicet dilectioni Dei ſuper omnia .

Digitized by Google

III. „ Præceptum diligendi Deum , ut „ Finem ſupernaturalem Gratiæ , eſt ſimpliciter ſupernaturale , etſi connaturale ſit „ ipſi Gratiæ „. *Ib.*

Scholion. In lege Evangelii tenemur ad modum perfectiorem caritatis erga Deum, ſub Fide explicita Trinitatis, & Mediatoris: hic autem modus conſequitur naturaliter, poſita tali cognitione Dei.

§. IV.

De Pœnitentia.

I. „ Malum culpæ, ut aliquo modo „ deſtruendum, eſt id, quod reſpicit Pœnitentia : quoniam vero dari „ nequit, quin dicat reſpectum ad Deum; „ hinc dicitur Pœnitentia tendere in Deum „. *Suar. De Pœn. in 3. p. q. 85. diſp. 2. ſect. 1. n. 3. & ſect. 2. n. 3.*

II. „ Præceptum ſatisfaciendi Deo pro „ injuria illata per peccatum, naturale eſt „. *Suar. De Pœnit. in 3. p. q. 90. diſp. 15. art. 4. ſect. 3. n. 4.*

Scholion. Quantum ſcilicet homini poſſibile eſt. *D. Th. 3. p. q. 84. ar. 7. ad. 1.* „ De „ Jure naturali (ait) eſſe, quod aliquis pœ„ niteat de malis, quæ fecit „. Actus autem deteſtationis cum reſpectu ad Deum eſt ex ſe, & naturaliter valde proportionatus ad hanc ſatisfactionem : nam nullus dari poteſt aptior ad veniam impetrandam.

III. „ Satisfactio Deo condigna dari ne„ quit in pura natura : excitatus vero ho-

„ mo

Digitized by Google

„ mo, & adjutus divina Gratia poteſt de „ congruo, ſeu imperfecte Deo ſatisfacere: „ qua poſita poſſibilitate, obligatur homo „ ex lege connaturali ipſimet Gratiæ „. *Ib. ſect.3. n.6.*

IV. „ Modus ſatisfaciendi Deo habetur „ ex ordinatione ipſa Dei; poſita tamen ea „ ordinatione, modus ille connaturaliter „ obligat „. *Ib. n.7.*

Scholion. In ſtatu puræ naturæ pertineret ad divinam Providentiam determinare modum pœnitentiæ: quo homini ſignificato, homo teneretur illum adhibere naturaliter.

§. V.
De Religione.

I. „ EX vi ſolius legis naturalis non „ tenetur homo colere, vel adorare Deum alio cultu pure interno, præter „ illum, qui in actibus Fidei, Spei, Caritatis, & Pœnitentiæ (ſi mortaliter pec„ cavit) reperitur „. *Suar. tom.*1. *de Relig. tr.*2. *l.*1. *c.*2.

Scholion. His actibus implet homo obligationem colendi Deum pura mente, & ſpiritu.

II. „ Ex vi ſolius legis naturalis non „ eſt determinatus modus particularis ado„ randi Deum cultu externo „. *Ib. n.6.*

Scholion. Circa modum in genere obligat lex naturalis, ut fiat modo decenti, & proportionato, & ſine ſuperſtitione. *Suar. ib. & in* 3. *tom. diſp.*73. per totam, præſertim *ſect.*8.

III. „ Colere Deum per viſibile ſacri-
„ ficium , & externam oblationem licet in
„ rigore non ſit de J. N. ; eſt tamen adeo
„ conſentaneum illi ; ut ſemper fuerit de
„ J. G. „ *Suar. tom* 1. *de Rel. tr.*2. *l.*1. *c.*3. *n.*3. Ex uſu hominum a principio mundi de Abel, & Cain, & apud Gentes etiam ; ut notat *Ariſt.*7. *Polit. c.*8.

*Scholion.*1. Hic modus eſt honeſtus, & ſenſibilis, unde legi naturali conformis. In lege autem nova cultus Dei per verum Sacrificium, præceptum eſt de Jure divino a Chriſto Domino. Determinatio hujus præcepti relicta eſt Paſtoribus Eccleſiæ.

*Scholion.*2. De Præcepto *Orationis* ex J. N. *vid. Suar. l.*1. *de Orat. c.*29. *De Timore*, *&* *honore Dei. Vid. Suar. tom.*3. *P.*3. *diſp.*73 *ſect.*8.

IV. „ Juramentum de ſe non eſt ex
„ J.N. prohibitum, ſi nimirum detur neceſ-
„ ſitas, & ſerventur conditiones „. *Suar. De Jur. lib.*1. *c.*2.

Scholion. Neceſſitas datur in aliqua morali utilitate ad finem honeſtum ; & conſurgit ex incredulitate Audientium, & ex defectu veritatis in natura corrupta. Conditiones ſunt tres, ſcilicet, Veritas, Juſtitia, & Judicium. *Vid. Suar. De Jur. l.*1. *c.*3.

V. „ Perjurium eſt contra J. N. Atque
„ ita prohibetur *Levit.*19. *Zachar.*5. *Exod.*20.
„ In juramento enim adducitur Deus, tan-
„ quam prima, & infallibilis veritas, in
„ teſtem veritatis. Ergo, ea deficiente, fit
„ Deo gravis injuria „. *Suar. ib. &* *l.*3. *c.*2.

Scholion. Hinc nunquam poteſt fieri licitum

Digitized by Google

tum perjurium ; & ſemper eſt grave peccatum. *Suar. De Jur. l.3. c.4.*

VI. „ Juramentum promiſſorium per „ vim, & metum cum injuria extortum, „ ſi eſt de materia honeſta, obligat ex J. N. „ Urget ſiquidem obligatio, ut fiat verum, „ quod ſub divino teſtimonio dictum eſt, „ & fieri poteſt ſine peccato „ . *Suar. De Jur. l.2. c.9. & 10.*

Scholion. Plura, quæ in materia jurisjurandi occurrunt, videri poſſunt apud *Suar. tribus libris de Juram.*

CAPUT SECUNDUM

DE OFFICIIS ERGA SEIPSUM.

I. „ DUobus tantum indigemus, quoad „ vitæ conſervationem, & modum „ tranſigendi illam, ſcilicet victu, & veſtitu : juxta illud Pauli 1. *Tim.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his „ contenti ſimus „ . *Suar. de op. ſex. dier. l.5. c.6. n.1.*

II. „ Ex lege naturali non indigent homines veſtimentis, nec ea tenentur adhibere „ . *Ib.*

Scholion. In ſtatu enim Innocentiæ cum tota lege naturali ſufficienter tegebantur homines Juſtitia originali.

III. „ Naturaliter tamen indigent alimentis, & tenentur iis uti. Patet ex „ corpore petente nutritionem, augumentum &c. „ *Ib.*

Digitized by Google

IV. „ Materia alimentorum non ſunt „ ex J. N. neceſſario Carnes; quod docet *D. Th.* 1. *p. q.* 96. *ar.* 1. *ad* 3. *Ib. n.* 4. & *n.* 12.

Scholion. 1. In ſtatu Integritatis fuiſſet inordinatus uſus carnium, non ex ſpeciali prohibitione Dei, neque ex ipſa natura rei; ſed ratione optimorum alimentorum loci illius. *Ib. n.* 14.

Scholion. 2. Eadem ratio excluderet ab illo ſtatu uſum alterius cibi arte confecti, vini &c. non quia lege naturæ prohiberentur; ſed quia nec neceſſaria ea eſſent, nec ſine cura pararentur. Unde ſequitur: Ex lege naturali revera non definiri Ciborum qualitatem.

V. „ Ex lege naturali Facultates homi„ nis dirigendæ ſunt ad finem ordinatum: „ Finis autem ordinatus eſt Finis honeſtus „. *Suar.* 1. 2. *tr.* 3. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *n.* 6.

VI. „ Delectabilitas ipſa, ipſum leva„ men naturæ, vel quælibet corporis com„ moditas, ſi fiant conſiderando ſolum na„ turam animalem, non ſunt bona, & ho„ neſta „. *Ib. n.* 9.

VII. „ Ut ſint bona, debent dirigi ab „ humana natura, ut rationali. Hoc fit, „ quando ad operandum propter commodita„ tem naturæ adhibet homo rationis regu„ lam, & judicat illam commoditatem eſſe „ ſibi convenientem, etiam ut ratione regu„ latam „. *Ib.*

Scholion. 1. Ex eo, quod homo ſemper tenetur operari ut homo, & conſequenter regulam rationis adhibere, infertur obligatio præ-

prædicta ex Jure Naturæ. Modus autem ille operandi ſatis eſt ad honeſtatem actionis, ut diximus. Loquimur autem de operatione vere morali.

Scholion.2. Quam ſit fæcundiſſimum principium hoc in Jure Naturæ, quoad dirigenda officia hominis erga ſeipſum, patet conſideranti. Quinimo & multo fæcundius eſſe illo Wolfiano, & in regula morum multo laudabilius, & a periculo remotius, ex iis, quæ in 1. *p*. dicta ſunt, colligitur.

CAPUT TERTIUM

DE OFFICIIS ERGA PROXIMUM

§. I.

De hominum ſocietatibus.

I. „ NOn ratione naturæ lapſæ, ſed ex „ lege naturali genus humanum pro„ pagatur per naturalem generationem. Pa„ tet ex ſexuum diſtinctione cum ſimilitu„ dine naturæ.„ *Suar. de opif. lib*. 5. *c*.2. *num*.6.

Scholion. Inde tamen non infertur, præceptum matrimonii obligare ſingulos etiam in ſtatu Innocentiæ; & dari poſſet etiam tunc ratio majoris boni in continentia.

II. „ Ex Filiorum procreatione oritur „ naturaliter Societas domeſtica, ſeu Fami„ liæ. Quod docuit etiam *Ariſt*. *l*.1. *Polit*. „ *cap*.2. „ *Suar. ib*. *c*.7. *n*.1.

III. „ Hæc Societas trahit cohabitatio-

„ nem neceſſariam Viri, & Uxoris ad Fi-
„ liorum generationem, & educationem.„
*Ib. n.*2.

Scholion. Recta inſtitutio Filiorum eſt de J. N. reſpectu Parentum.

IV. „ Matrimonii inſolubilitas eſt de „ Jure Nat. „ *Suar. de Leg. lib.*10. *cap.*2. *num.*13.

V. „ Polygamia videtur Jure Nat. pro-
„ hibita. Lex autem prohibens illam fun-
„ datur maxime in naturali Juſtitia, &
„ Æqualitate inter virum, & uxorem,
„ quoad mutuam corporis traditionem.„
*Suar. de opif. l.*5. *c.*3. *n.*17.

Scholion. Quid dicendum de polygamia in principio generis humani, vel uſque ad Evangelium, habetur ubi de *Princip. Legis natur.* Polygamia etiam contraria eſt paci, tranquillæ habitationi, & convenienti familiæ gubernationi: quæ ſunt finis ſecundarius matrimonii.

VI. „ Societas plurium domorum, un-
„ de Pagus exurgit, præſcindens a morali
„ unitate, vel communitate, eſt de J. N.
„ Ex generatione ſcilicet plurium filiorum,
„ & ex ſucceſſione natorum ex natis, ſeu
„ nepotum ex Filiis.„ *Ib. n.*2.3.

VII. „ Societas etiam politica, qualis
„ in Civitate, vel Regno conſpicitur, vi-
„ detur eſſe de J. N. non quidem propter
„ indigentiam mutui auxilii tantum, ſed
„ etiam propter majorem vitæ jucunditatem,
„ & honeſtam communicationem, quam
„ homo naturaliter amat.„ *Ib. n.*6.

Scho-

Scholion. Mutua corporum indigentia, & defenſio eſt in natura corrupta, adeoque non de J. N. in ſe. Sed adhuc differentia naturalis hominum in ſcientia, & virtute eſt caput ſufficiens ad prædictam ſocietatem: ut minus docti, & minus ferventes a doctioribus, & ferventioribus adjuventur, & qui peccant, ab aliis poſſint corrigi.

§. II.

De hominum dominio in homines.

I. „ HAbet homo de J. N. dominium „ in omnia bruta animalia. „ *Suar. de Opiſ. l.5. c.6. n.8.*

II. „ In J. N. non datur dominium pro„ prietatis unius hominis in alium ad uſus „ convenientes propter utilitatem Domini. „ Nam libertas eſt homini naturalis: & „ utrumque ſimul dari nequit. „ *Ib. l.5. c.7. n.10.*

Scholion. Unde ſervitus non eſt de J.N. Aliunde vero introduci potuit, ſcilicet in pænam: & idcirco non eſt contra J. N. Aliter eſt ratiocinandum de ſubjectione famulatus, quæ non in pænam, ſed in ſubſidium eſt introducta.

III. „ Dominium directivum, ſeu poteſ„ tas imperandi aliis in eorum commo„ dum, & commune bonum, eſt de J. N. *Ib. n.11. Et de Leg. l.3. c.1.*

Scholion. Sic poteſtas Viri in Uxorem, Patris in Filios, & in totam Familiam: quæ quidem poteſtas ad bonum ordinem, & pa-

& pacem inter ipſos neceſſaria eſt , & reſultat, poſito contractu Matrimonii, & Filii generatione .

IV. „ Politicus Principatus, debito modo introductus, eſt de J. N. , cum ſpectet „ ad conſervationem humanæ , ac civilis „ Reipub. „ *Ib. n.*12. *Et Defenſ. contr. Reg. Angl. l.*3. *c.*1. *n.*3.

Scholion. Sine Juſtitia , & Pace nequit Communitas hominum conſervari : Juſtitia, & Pax requirunt Gubernatorem cum poteſtate præcipiendi, & puniendi . Ergo ſi communitas, ſeu civilis Societas eſt de J. N., media ad illius conſervationem ſunt de J. N.

V. „ Ad regimen , & conſervationem „ civilis Societatis humanæ non eſt de J. N. „ neceſſarius unus Monarcha (ſunt enim „ alii modi regiminum ſufficientes , licet „ fortaſſe non ita perfecti) ; & ideo no„ mine unius Principatus politici unum „ Tribunal , ſeu Poteſtatem unam intelli„ gimus , ſive illa in una Naturali Perſo„ na , ſive in uno Conſilio , ſeu Congre„ gatione plurium , tanquam in una per„ ſona ficta, ut in uno capite exiſtat . „ *Suar. Defenſ. præd. cap.*3. *num.*5. *De Leg. l.*3. *c.*2.

VI. „ Princeps politicus poteſtatem ſuam „ a Deo recipit. *Ib. n.*6. Tum quia prin„ cipatus eſt de J. N. & Jus Nat. eſt a „ Deo: tum etiam quia innuit Scriptura „ Quare Suarez ibi putat, hoc eſſe de Fide.

Scholion. Licet poteſtas civilis ſuprema immediate dicatur a Deo collata hominum per-

perfectæ Communitati (*Suar. de Leg. l 3. c.2.n.3.*) per naturalem conſequutionem ex vi primæ Creationis; & hominum communitas ex J. N. non teneatur ad unum regimen potius, quam ad aliud; (ex n 5.) adhuc tamen poſtquam in unam Perſonam poteſtatem tranſtulit, nequit citra injuſtitiam ab illius dominio recedere, vel illi poteſtatem imminuere. *Suar. Defenſ. præd. c.3. n.2. & 4.*

VII. „ Poteſtas hæc reſultat naturaliter „ in humana Natura, (ubi homines libere in „ humanam communitatem perfectam con- „ gregantur, & politice uniuntur) ab Auc- „ tore Naturæ ratione ſuæ Providentiæ: & idcirco dicitur collata immediate a Deo. *De Leg. l.3. c.3.n.6.*

Scholion. Poteſtas eſt de J. N., at determinatio ad certum modum regiminis eſt ex arbitrio hominum. *Vid. Suar. loc. cit. c.4. n.1.* ubi de variis regiminum generibus, & de variis titulis obtinendæ regiæ poteſtatis: ſcilicet 1. immediate a Deo: 2. per hæreditariam ſucceſſionem: 3. ex bello juſto, quod quidem debet ſupponere regiam poteſtatem in eo, qui illud indicit, & delictum in Republica, contra quam indicitur.

VIII. „ Poteſtas ſuprema Civilis non po- „ teſt ferre leges de actibus pure internis. „ Quia illa poteſtas ad exteriorem pacem, „ & honeſtatem Societatis humanæ ordina- „ tur, ad quam nihil referunt actus pure „ interni. „ *Suar. de Leg. l.3. c.13. n.2.3.*

„ Po-

„ Poteſt tamen quatenus ſunt connexi cum „. actibus externis. *Ib. n.9.*

IX. „ Poteſtas hæc ferre poteſt leges „ obligantes in conſcientia. *Suar. ib. c.21. num.5.*

Scholion. Poteſtas ferendi leges debet habere vim cogendi, ut patet: coactio autem ſine poteſtate obligandi in Conſcientia, vel eſt moraliter impoſſibilis, quia coactio juſta ſupponit culpam; vel eſt inſufficiens: quia non poſſet in multis caſibus neceſſariis ſufficienter Reipub. ſubvenire. Quinimo leges etiam pænales reſolvuntur in aliquam Conſcientiæ obligationem: quia ſecus Superior non poſſet habere jus ad puniendum Tranſgreſſorem, vel daretur bellum utrinque juſtum. *Suar. de Leg. l.3. c.22.*

X. „ Supremus Princeps, qui Superio„ rem in temporalibus non habet, vel Reſ„ publica, quæ ſimilem juriſdictionem apud „ ſe retinuit, habet Jure naturæ poteſta„ tem legitimam indicendi bellum. *Suar. de Car. diſp.13. Sect.2.*

Scholion. Siquidem tale bellum ſæpe eſt Reipub. neceſſarium ad propulſandas injurias, & coercendos hoſtes, ut conſervetur pax Reip. Unde bellum eſt de J. N. licitum; atque adeo poſt legem Evangelicam, quæ in nulla re derogat Juri Nat. Idcirco oportet poteſtatem, illud indicendi, eſſe apud aliquem, ad quem ſpectat tueri Remp. & inferioribus Principibus imperare.

XI. „ Juſta belli cauſa, ſine qua bel„ lum inhoneſte fit, eſt, ut qui injuriam „ in-

Digitized by Google

„ intulit, juſte puniatur, ſi recuſet abſque „ bello juſtam ſatisfactionem præbere, *Ib. Sect.*4.

Scholion. Qui ſine juſta cauſa bellum aggreditur, non ſolum contra Caritatem, ſed & contra Juſtitiam peccat; unde tenetur omnia damna reſtituere.

XII. „ Juſta belli cauſa etiam de J. N. „ eſſe poteſt defenſio Innocentum „ *Ibid. Sect.*5.

Scholion. Hoc peculiari modo ad Principes Chriſtianos ſpectat, pro defenſione eorum, qui velint vel legem Chriſtianam promulgare, (de qua re datur in Eccleſia ſpeciale Jus, rationi naturali maxime congruum *Suar. de Fide diſp.*18. *ſect.*1.) & prohibentur cum injuria; vel ſuſcipere illam, & a rege infideli injuſte vetantur. Atque hoc habet fundamentum in lege naturali, cui conformis eſt tota lex Chriſti.

§. III.

De hominum dominio in bona.

I. „ DIviſio rerum, & privata dominia „ non ſunt ex Jure natur. „ *Suar. de opiff. l.*5. *c.*7. *n.*17.

II. „ Nullum eſt præceptum J. N. prohibens hanc rerum diviſionem. „ *Suar. ib. num.*18.

Scholion. Non enim eſt contra Juſtitiam, nec contra aliam Virtutem: quinimo poteſt eſſe utilis. *Leſ. l.*2. *de Juſt. c.*2. *dub.*2.

III. „ Diviſio rerum mobilium, & con- „ ſump-

„ ſumptibilium videtur neceſſaria ex J. N.
„ neque enim poſſent, invito poſſidente,
„ auferri ſine injuſtitia. „ *Suar. ib.*

IV. „ De J. N. videtur etiam eſſe,
„ ut qui particulam terræ etiam ante ſta-
„ tutam diviſionem, ſibi ſumeret excolen-
„ dam, non poſſet citra injuſtitiam ab alio
„ privari. „ *Suar. ib.*

Scholion. Hinc factum eſt, ut uſus obtinuerit de rerum proprietate, quamdiu illas quis retineret, & de terræ particula vel ad excolendum, vel ad habitandum accepta.

§. IV.

De mutua hominum caritate.

I. „ TEnemur legis naturalis præcepto
„ diligere Proximum ſicut nos ipſos:
„ quia id dictat ratio naturalis, & quia
„ nihil eſt magis neceſſarium ad generis
„ humani conſervationem, pacem, & juſ-
„ titiam tuendam. *Suar. de car. diſp.* 5.
ſect. 4.

Scholion. Si tenemur diligere, tenemur conſequenter a fortiori Proximum non lædere, & quidem non lædere Proximum in re aliqua, & ipſo invito, quod ſpectat ad Juſtitiam: ſed neque ipſo volente, ut in ſpiritualibus, quod pertinet ad caritatem.

II. „ Præceptum naturale diligendi Pro-
„ ximum obligat ad actus internos, quando
„ iſti neceſſarii ſunt; vel ad opus externum,
„ & beneficium Proximo præſtandum; vel
„ etiam

Digitized by Google

„ etiam ad vitandum odium , & offenſio-
„ nem Proximi . „ *Suar. ib.*

Scholion. Quare præceptum hoc obligabit , quando occurret neceſſitas *Miſericordiæ* , ad quam ſpectat tum affectu , tum etiam effectu pro viribus ſublevare Proximi miſeriam , ſeu malum ipſius involunta-
„ rium , ſive in ordine ad animam , ſive in ordine ad corpus . Ad *Animam* pertinet *Fraterna correctio* , quam cognovit *Ariſt.* 9, *Ethic. c.* 3. Ubi tamen & de delicto *ſufficienter* conſtet, & ſpes ſit *fructus*, *&* *emendationis* ; ne ſcilicet correctio ſit temeraria, & rurſus actus ſit otioſus . Obligamur autem , quando Proximus indiget noſtra correctione , & ſit opportunitas illum corrigendi . Ad *Corpus* ſpectat præceptum naturale eleemoſynæ , quod reſpicit præcipua pars caritatis Proximi . Hoc vero obligat tempore neceſſitatis Proximi . (*Suar. ibid. diſp.* 7. *&* 8.) Atque huc refertur , ſepelire Mortuos , licet cadaver non ſit capax miſeriæ ; ſed tamen homo , cujus eſt corpus illud , manet in memoriis hominum : & corpus habet ordinem ad animam , cui gratum eſt illud officium , quod ipſi etiam prodeſſe poteſt propter ſuffragia , quæ in locis ſacris fiunt . *Suar. de car. diſp.* 4. *ſect.* 1.

III „ Ex lege naturali jubemur non
„ odiſſe homines etiam improbos . Iſti enim
„ Proximi ſunt : & Proximorum odium eſt
„ intrinſece malum, utpote odium rei bo-
„ næ , & per ſe amabilis . „ *Suar. de car. diſp.* 5. *ſect.* 5.

Scho-

Scholion. Non eſt contra L. N. optare Proximo malum temporale propter bonum finem, ad reſipiſcentiam ejus, vel ad vitandum majus malum: ſi nimirum alia via provideri non poſſit.

IV. „ Et L. N. tenemur diligere Ini„ micos. Tum quia inimicus eſt Proxi„ mus, reſpectu cujus prævalet illud: *quod* „ *tibi non vis, alteri ne facias*; tum quia „ vindictam ſumere ab inimicis propria auc„ toritate, eſt contra rationem naturalem: „ ergo & appetitus vindictæ, cui contra„ rius eſt hic amor. Tandem hic amor eſt „ maxime neceſſarius ad conſervandam juſ„ titiam, & Pacem inter homines. „ *Suarez ibid.*

Scholion. Patet etiam ex præcepto expreſſo in L. Evangelica, ubi nulla de novo fuere impoſita præcepta moralia poſitiva, præter ea, quæ ſunt Sacramentorum: (*Suar. de Leg. l.10. c.2.*). Vocat autem Chriſtus *ſuum* hoc præceptum, ut explicet maximam neceſſitatem, & obligationem: & ut oſtendat falſo Phariſæos addidiſſe Legi veteri, (dicenti tantum Levit.19. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum*); illa verba „ odio „ habebis inimicum tuum „ quam ſententiam ex Phariſæis in Vulgus promanatam Chriſtus Dominus rejecit.

V. „ Tenemur ex L. N. amare Inimi„ cos, eiſque exhibere amicitiæ ſigna eo „ tempore, ac modo, quo circa alios ho„ mines „. *Suar. ib.*

Scholion. Ceterum habenda in his officiis eſt

eſt ratio circumſtantiarum, unde indicari poſſit internum odium, ex quo aliorum offenſio oriatur.

VI. „ Reſpectu omnium tenemur L. N. „ non mentiri. Mendacium enim eſt valde diſſonum naturæ rationali: quia evertit ordinem ejus, & eſt contra finem, & „ neceſſitatem verborum, ſeu loquutionis „ rationalis;„. *Suar. De Fide p. diſp.*3. *ſect.*5.

Scholion. Ad hoc eſt a natura inſtitutum verbum externum, ut per illud ſignificemus internum, & ita poſſit eſſe inter rationales naturas ſocietas, & Fidelitas, ſeu Fiducia. Quare ſequitur, nunquam poſſe honeſtari propter bonum finem, ſi retineat rationem mendacii: nec licet fieri malum, ut inde eveniat bonum, teſte Paulo *Rom.*3.

VII. „ Sine rationabili cauſa uti amphibologia, eſt contra virtutem Veritatis. Quoties enim neceſſitas non requirit amphibologiam, debita eſt noſtro ſermoni ſimplicitas in ſenſu uſitato, & conc„ cepto ab audiente: & tunc defectus ſimplicitatis in illo ſenſu eſt vitioſus & contrarius veritati. Si datur neceſſitas; tunc „ ille defectus ſimplicis, & claræ expreſſionis ſuppleri poteſt ex adjunctis, & circumſtantiis, loquutionem complentibus: „ & ſic non eſt vitioſus, nec mendacium, „ cum detur verus ſenſus accomodatus loquutioni„. *Suar. De Jur. l.*3. *c.*11.

VIII. Aſſertio alicujus de re facienda, „ vel de beneficio præſtando includit in-

„ trin-

„ trinſece ex vi veritatis tale propoſitum,
„ quale requirit illud opus, quod præſtan-
„ dum, ſeu efficiendum aſſeritur: reſpectu
„ vero futuri operis non requirit Veritas
„ hujuſmodi aſſertionis, ut poſtea illud opus
„ omnino exequutioni mandetur „. *Suar. Relect. De libert. Volunt. div. diſp.2. ſect.2. n.18.*

Scholion. Veritas enim aſſertionis non exigit perſeverantiam in tali propoſito, ut patet: quia hæc non aſſeritur.

IX. „ Si aſſertioni adjungitur Pro-
„ miſſio ex Voluntate ſe obligandi, naſci-
„ tur naturale debitum efficiendi veram aſ-
„ ſertionem de futuro, ſcilicet præſtandi
„ id, quod promittitur „. *Suar. ib.*

Scholion. Obligatio hæc oritur ex Fidelitate. Infidelitas autem maxime repugnat rationi, & convictui humano: & pro Materiæ, & Perſonarum gravitate poteſt moraliter reputari ſufficiens ad violandam caritatem.

X. Si Promiſſio inducit obligationem
„ juſtitiæ, donando alteri Jus; tenetur
„ homo ratione juſtitiæ naturalis complere
„ promiſſum „. *Suar. ib. n.19. 20.*

Scholion.1. Hæc utique intervenit in commerciis, contractibus &c. ubi voluntas hominum non ſiſtit in mera obligatione efficiendi verum, ſed præterea tranſit in debitum juſtitiæ.

Scholion.2. Obligatio ex juſtitia inducit debitum reſtitutionis, ſi violari contingat: Rurſus fundat Jus in conſcientia vindicandi ſibi propria auctoritate rem, ſi aliunde in judi-

judicio repetere non poſſit : Ac præterea Jus tranſit etiam ad hæredes.

§. V.

De regulis ſervandis in officiorum concurſu, & mutua colliſione.

I. „ IN omnibus officiis Deus eſt ſemper ſuper omnia diligendus „. *Suar. De car. diſp.9.*

Idem dicas de Chriſto Domino, qui eſt Deus homo, & ideo magis, quam ceteri, diligendus. Chriſtus vero *ut Homo* (ideſt vita hominis in Deo) minus quam ipſe Deus ſecundum ſe, magis tamen nos ipſi : cum quam ſit bonum infinitæ excellentiæ ratione Unionis, & jure redemptionis ſit bonum univerſale. *Suar. ib. in fin.*

*Scholion.*1. Quare in concurſu officiorum ex L. N. debitorum Deo, cum aliis officiis, his illa præferenda ſunt ex recto ordine rationis: quod patet in qualibet culpa etiam veniali. Rurſus officia majoris obligationis erga Deum ex eodem ordine præferri debent officiis minoris obligationis. Eadem eſt ratio de Præceptis Juris Naturæ reſpectu præceptorum poſitivorum Eccleſiæ.

*Scholion.*2. Jam concurrere poſſunt, & veluti invicem collidi officia hominis erga ſeipſum cum officiis erga Proximum : quoniam vero officia hæc reſpicere poſſunt ſive *Bona ſpiritualia*, ſive *Bona temporalia* ; idcirco in triplici concurſu conſiderari poteſt homo ; 1. quando concurrunt officia de Bono

no ſpirituali ſui ipſius cum officiis de Bono ſpirituali Proximi : 2. de Bono temporali proprio cum Bono ſpirituali Proximi : 3. de Bono temporali proprio cum Bono temporali Proximi. Poſſunt etiam concurrere officia erga unum Proximum cum officiis erga alium : & hic ſui pro ſingulis dantur canones juxta legem naturæ.

II. „ In bonis *ſpiritualibus* ſimpliciter „ tenetur homo ſe magis diligere, & pro- „ priis ejuſmodi neceſſitatibus ſubvenire, „ quam aliorum „. *Suar. ib.*

Quia potius debet homo ſibi velle beatitudinem æternam, quam aliis : & potius debet velle a ſe Deum amari, quam ab aliis, juxta rectum ordinem caritatis.

III. „ Nemo tenetur, nec poteſt aliis „ ſubvenire cum eo proprio *ſpirituali* de- „ trimento, quod culpam includit „. *Suar. ib.*

Quia culpa includit offenſam Dei, quæ vitanda eſt pluſquam omnia mala creaturarum.

IV. „ Nemo tenetur, nec poteſt aliis „ ſubvenire cum eo detrimento proprio „ *ſpirituali*, quod minuat ſubſtantiam ca- „ ritatis, ſeu impediat augumentum ipſius, „ & meritorum „. *Suar. ib.*

Quia Caritas maxime inclinat ad ſui perfectionem. Ergo non ad id, quod hanc perfectionem impedit.

V. „ Si concurrit detrimentum *ſpiritua-* „ *le* proprium mere extrinſecum, & acci- „ dentale cum ſalute aliorum, ſolet eli-

„ gi-

„ gi illud potius propter hanc „ . *Suar. ibidem*.

Sic ſe habet expreſſio illa Moyſis *Exod.* 32. „ dimitte eis hanc noxam, aut dele me de „ libro tuo, quem ſcripſiſti „ & Pauli ad Rom. 9. „ optabam ego eſſe anathema a „ Chriſto pro Fratribus meis „ juxta explicationem SS. PP. maxime Chryſoſt. hom. 2. & 3. *de laudibus Pauli*.

VI. „ Simpliciter loquendo tenetur ho„ mo magis diligere Proximum in *ſpiritua-* „ *libus*, quam ſe in *corporalibus* „ . *Suar. ibidem*.

Quia ſecundum rectam rationem eſt amabilior anima Proximi, quam corpus proprium.

VII. „ Tenetur homo ſubvenire Proxi„ mo exiſtenti in extrema neceſſitate *ſpiri-* „ *tuali*, etiam cum *evidenti periculo mor-* „ *tis* „ . *Suar. ib.*

Quia hic ordo cadit ſub præceptum: ergo maxime in extrema neceſſitate. Sic eſſet in parvulo moriente baptizando; &c.

VIII. „ Extra caſum extremæ neceſſi„ tatis *ſpiritualis* non obligat caritas per ſe „ ad ſubveniendum privato Proximo cum „ *periculo morali mortis corporis* „ . *Suar. ibidem*.

Quia tunc non eſt maxima neceſſitas: unde nec obligatio perdendi ſummum bonum corporale. De bono tamen communi ſufficit gravis neceſſitas ſpiritualis: quia tunc dari poſſet grave periculum religionis chriſtianæ. Ut ſi ſciam ab aliqui-

bus hæreſim eſſe prædicandam, teneor me illis opponere ratione caritatis: Epiſcopus vero, & Parochus ratione officii, & Juſtitiæ ex tacita conventione, tenetur etiam in gravi neceſſitate cujuslibet de ſuo grege.

IX. „ In gravi neceſſitate *ſpirituali* Pro„ximi obligat caritas cum aliquo etiam „ *damno temporali proprio*: extra cauſam „ vero talis neceſſitatis non eſt gravis obli„gatio „. *Suar. ib.*

Quia gravis neceſſitas ſpiritualis Proximi eſt gravis momenti, & præſerenda ex ordine caritatis alicui damno proprio temporali. Deinde præcepta affirmativa ſolum obligant in caſu neceſſitatis. Hinc licet ſit laudabile ſubvenire Proximo in talibus circumſtantiis; non eſt grave præceptum extra neceſſitatem. Gravis autem neceſſitas prudenter eſt, & cum proportione judicanda.

X „ In *temporalibus* tenetur homo po„tius communi bono, quam ſibi ſubveni„re „. *Suar. ib.*

Commune bonum præferendum eſt privato, cum ſit univerſalius: & quilibet eſt pars boni communis: pars autem debet præferre bonum totius bono proprio.

XI „ In quacunque *corporali* neceſſitate „ poteſt quilibet licite ſibi potius, quam „ alteri privato ſubvenire „. *Suar. ib.*

In pari neceſſitate nemo tenetur diligere Proximum pluſquam ſe. Contra vero, ſi Proximus ſit in neceſſitate vitæ, ego vero in minori neceſſitate; vel ſi Proximus ſit in

Digitized by Google

in gravi neceſſitate, non item ego. Multo magis ſi comparatur gravis neceſſitas vitæ Proximi cum bonis ſuperfluis, vel etiam neceſſariis ad ſtatum. Hæc enim omnia minus ſunt diligenda, quam vita Proximi.

XII. „ Non tenetur homo in *neceſſitate* „ *Vitæ* etiam *extrema* ſibi potius ſemper ſub- „ venire, quam Proximo alicui, puta Ami- „ co „. *Suar. ib.*

Quia licet nemo poſſit ſe occidere, tamen non tenetur ſemper omni medio, & ratione ſervare vitam, etiam in concurſu alicujus ſibi cariſſimi. Multo magis in concurſu Patris.

XIII. „ Poteſt quis ſine gravi culpa in „ *neceſſitate extrema* poſtponere ſe, ut alte- „ ri etiam extraneo in ſimili neceſſitate „ ſubveniat „. *Suar. ib.*

Hoc autem ſpectata tantum caritate; ſi alia vero adſit obligatio Juſtitiæ, vel Pietatis, ut in Patrefamilias; tunc non poteſt. Generaliter autem poteſt quis amittere vitam ob bonum finem: & conſervatio vitæ Proximi eſt bonus finis, vel honeſtas fortitudinis, caritatis &c.

XIV. „ Ceteris paribus non eſt dubium, „ quin ſecundum ordinem caritatis ſit me- „ lius in extrema neceſſitate ſubvenire ſibi, „ quam aliis. *Suar. ib.*

Sic melius eſt, non dare alteri extreme indigenti id, quo ego etiam extreme indigeo: omittendo enim hoc medium neceſſarium, cenſeor meipſum occidere. Sic e duobus naufragis poſſet alter licite ſinere, ut

ut ſocius tabulam acciperet; non poſſet autem dare illam ſocio, ſi jam ipſe tabulæ inſediſſet: hoc vero ſi cetera ſint paria.

XV. „ Præceptum etiam naturale caritatis, & miſericordiæ obligat ad ſervandum *ordinem* in dilectione, vel in ſubventione Proximorum „, *Suar. ib.*

Sicuti diverſi dantur gradus conditionum, & conjunctionum in Proximis; ita rectus ordo poſcit ſervandam legem in caritate, & miſericordia.

XVI. „ Ceteris paribus tenemur præferre eos, qui nobis *conjuncti* ſunt, alienis „. *Suar. ib.*

Hæc eſt enim ordinis ratio: intelligendo in eodem genere bonorum.

XVII. „ Inter ſanguine conjunctos ſervandus idem ordo: inter conſanguineos *Pater*, inter amicos *fidelior*, & *antiquior* „. *Suar. ib.*

Hic etiam ordo eſt inter amicos, & inimicos, quia eſt rationi caritatis conformior. In concurſu *Patris*, *&* *Filii* in extrema neceſſitate, præferendus eſt Pater (*Suar. ib. ſect.4. n.6.*): gravior eſt enim impietas Patrem interficere, quam Filium. In concurſu *Patris*, *&* *Matris*, præferendus eſt Pater, cui debetur major honor, quam matri. Fortaſſe tamen hic ordo non obligat ſub gravi. (*Suar. ib. n.8.*) Rurſus præferendus eſt *Pater Conjugi* (*Suar. ib. n.16. cum D.Th.*) Item præferendus Pater improbus cuilibet alteri Sanctiori, tum quoad temporalem neceſſitatem, tum quoad ſpiritua-

ritualem. (*Suar. ib. n.19. 20.*) In concurſu *Benefactoris*, & *Beneficiati*, ſeu cujus ſumus Benefactores, præferendus Benefactor; quia eſt amor magis debitus.

XVIII. „ In diverſis Conjunctionum, „ ſeu Societatum generibus præferendi ſunt „ addicti illi Societati „. *Suar. ib.*

Sic in rebus civilibus cives, in militaribus milites: nam reſpectu hujuſmodi ſocietatum conſurgit quædam obligatio ad particularia officia, ut patet.

E P I L O G U S.

Atque hæc *de Officiis* pertinentibus ad Hominem, qua *Homo* eſt, qua *Chriſtianus* eſt. Neque enim Officia Juris Naturæ diverſa urgent hominem, diverſa urgent Chriſtianum: quando eadem a Deo Auctore Naturæ habent originem, eoſdemque homines, quicunque ii ſint, cujuſcunque ordinis, religionis, ſtatus, modo homines ſint, obligant. Fides utique detexit plura *Naturalia*, & *Moralia*, ut ait Ambroſius (*Præf. in* Luc. *n.*4.) *Et aperte docuit etiam Rationalia*. Atque hoc Fidei beneficium non magis Chriſtianos, quam ceteros homines reſpicit, atque obligat: *Omnes enim Fides illuminat*. Quare Jus Naturæ ratione cognitum, & cognitum etiam Fide unum omnino eſt: Ratio etiam, & Fides quoad hæc Officia, cum ab uno divino Auctore procedant, non pugnant inter ſe: ſed ... *alterius ſic*

Digitized by Google

Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Hor. de Ar. Poſcit autem opem Ratio a Fide, ut ex dictis hactenus conſtat apertiſſime. Quare cuilibet pleniſſimam cupienti Juris naturalis ſcientiam maxime erit enitendum, ut Sacrarum Facultatum ſtudio, Sanctorum Patrum ſedula lectione, & Scripturarum humili meditatione, quæ ſint ulteriora noſtrum omnium officia, queat dignoſcere. Quanti autem Fides ex Scripturis hauſta ad omne genus officiorum conferat, colligi poteſt ex Verbis Greg. XIII. in litt. Apoſt. ad Regem Catholicum datis, quæ Waltonius Anglus Editor Bibl. Polygl. in Præfat. appellat *Aurea, ac Veriſſima*, quibus Operi finem facio. „ Scripturarum beneficium permagnum eſſe. „ Nam quod ad Theologiam attinet, quæ „ eſt ſumma Philoſophia, his libris omnia „ noſtræ Religionis, & Divinitatis myſteria explicantur: quod vero ad eam partem „ attinet, quæ *Moralis* nominatur, hinc „ quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur: quibus quidem duabus „ partibus omnis noſtræ ſalutis, & felicitatis ratio continetur, ut nihil eſſe poſſit horum librorum lectione dignius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrina, & Sapientia „ refertius „.

AP-

APPENDIX APOLOGETICA.

DUo monuit Vir Cl. quibus in nova Opuſculi hujus Editione occurrendum putat.

Primum videri non immerito poſſe, quod de officiis Juris Naturæ jejune auctor, atque exiliter diſputaverit. At ejus rei facilis eſt reſponſio. Quorſum enim in hunc librum tranſcribere Juris Naturalis officia, quæ & rerum copia, & rationum firmitate, & Methodi perſpicuitate in Catholicorum Theologorum libris prompta, ac paratiſſima ſunt? Etenim, ſi non pueris, ſed viris, ſine fuco, & fallaciis loquendum ſit, quam Pufendorfius, & ab eo alii ſcientiam officiorum Juris Naturæ appellant eam Catholici Theologi morum Theologiam dixerant, eandemque accuratiſſime tradiderant, tum Suarez, tum alii Innumeri. Teſtes dabo minime ſuſpectos Encyclopediæ Gallicæ Auctores recentiſſimos (*a*)

(*a*) *La Theologie ſcholaſtique . . . a beaucoup contribuè aux progres de la Metaphyſique:* Sur tout la bonne Morale a parù dans un novveau jour. *Nos Livres les plus communs ſur la Morale valent mieux, que ceux du divin Platon: & Bayle à eu raiſon de reprocher aux Proteſtants de ce, que ils blamoient tant la Theologie Scholaſtique. L'Apologie.*

Alterum eſt, cui Vir Cl. ſatisfaciendum putat, a Chriſtiano Thomaſio, & Heineccio Proteſtantibus accuſari Suareſium, quod de Principio Juris Naturalis cognoſcendi, ejuſque uſu, in obſcuris, ambiguis, ac dubiis, tradat *doctrinam ſceleſtam, & diſciplinæ Juris Naturalis repugnantem*. At quoniam non hoc agitur, utrum Suarez vera, an falſa hac in re docuerit, ſed hoc unum, utrum *impia*, ac *ſceleſta*; Satis fuerit pro reſponſione hiſtorice ejus doctrinam compendio repræſentare.

PRIMA PROPOSITIO.

Univerſale Judicium de actione honeſta: „ *Bonum eſt faciendum, malum eſt fugien-* „ *dum* „ veteres Syndereſim appellabant: Phraſi autem recentiorum merito vocabitur principium cognoſcendi Jus Naturæ: Cum hoc

---

logie de Bayle en faveur de la Theologie Scholaſtique eſt la meilleur trait, qu'on puiſſe lancer contre les Heretiques, qui l' attaquent. Il eſt permis de ſe moquer de la barbarie de certains ſcholaſtiques, ſans blamer pour cela la ſcholaſtique en general. Je lirai Suarez avec plaiſir, dans certains endroits, & avec fruit preſque par tout. On trouve dans ſes ouvrages une grand penetration, beaucoup de juſteſſe, un profond ſavoir: Article Ariſtoteliſme Tom. 1. p. 564. Edit. Luc.

hoc dictamen contineat præceptum, ſuper quo fundantur reliqua præcepta, & ex quo inferuntur. Quod S. Thomas docet 1. 2. *q.94.* & ex eo Suarez.

SECUNDA PROPOSITIO.

Eſt præterea Judicium particulare: „ *Hæc* „ *actio penſatis omnibus mihi honeſta eſt*: *hæc* „ *autem alia turpis* „: Vocant Judicium Conſcientiæ practicum; idemque neceſſarium ad honeſtam operationem: Indiget enim voluntas dirigente, & gubernante, ut recta tendat: hoc autem præſtat recta ratio, ſeu judicium conſcientiæ: Hæc Suarez in 1. 2. *Tractatu* III. *Diſp.* XIII. *Sect.* I.

Ac ſiquidem hoc judicium ſit certum, pergit Suarez, dubium non eſt, quin in ſuo genere *ſufficiat* ad voluntatis honeſtatem. Quid enim aliud ab homine requiras? cum modus proponendi objectum perfectus ſit, quantum ab homine præſtari poteſt. Illud magis difficile eſt, an hoc Judicium certum *omnino ſit neceſſarium*?

TERTIA PROPOSITIO.

Ut voluntas in ſua praxi, & operatione ſingulari recta ſit, neceſſe eſt eam ſequi Judicium Conſcientiæ *certum* de honeſtate ſuæ ſingularis operationis circa honeſtum objectum. *Ita*, inquit Suarez, *Doctores omnes*. Etenim homini in ſuis operationibus cavendum eſt, quantum poteſt, periculum

peccandi: hoc autem non ſit ſine certo judicio, quo ex. gr. miles ſic ſtatuat: „ Mihi certo honeſtum eſt ſequi militiam ad „ bellum a meo Rege indictum, nullamque „ formidinem rationabilem habeo, ne non „ honeſte agam „. Contra vero ad malam operationem ſatis fuerit, quod quis voluntarie operetur ſine certo judicio honeſtatis; quod ipſum eſt ſeſe malitiæ periculo exponere: *Suar. loc. cit.* Hæc eo uſque communia ſunt, ut in iis adſtruendis conſentiant, tum qui Tutioriſtæ, tum qui Probabilioriſtæ, tum etiam qui Probabiliſtæ appellantur.

Verum qui fieri poteſt, ut certo judicem de honeſtate objecti, & operationis, cum ſæpiſſime tam multæ ſint opiniones, tamque inter ſe adverſæ in moralibus, an hæc, aut illa liceant?

Refert Suarez eorum ſententiam, qui putant tutiorem opinionem eſſe ſequendam, ſive ea probabilis ſit, ſive probabilior: aut ſaltem eſſe certam præſerendam probabili, & probabiliori: & quod probabilius eſt minus probabili. Refert & ſententiam, quæ in aliud extremum declinat, licere ſemper uſum probabilis opinionis, probabiliori dimiſſa:

Mediam viam init Suarez *Sect.6. num.8.* „ Interdum, inquit, opiniones verſantur „ circa Jus ipſum; ſcilicet an hoc ſit pro„ hibitum, vel præceptum, nec ne? Inter„ dum circa res ipſas: an hoc Pharmacum „ ſit utile, vel pernicioſum? An iſte ſit „ hæres, vel non? „

QUAR-

QUARTA PROPOSITIO.

Ejuſdem Suarez : „ quando opiniones verſantur circa res ipſas , an ſint hujus naturæ, vel conditionis , ſæpe tenetur homo præferre opinionem tutam , vel certam probabili , & probabiliorem minus probabili , quando ſcilicet ex juſtitia , vel caritate debet vitare damnum , quod re ipſa ſubeſt , vel periculum ejus „ : ratio ſufficiens eſt : ſæpe enim nulla eſt excuſatio , quare cum tenearis vitare hoc damnum , aut hanc utilitatem procurare , tutum , & certum medium in eum finem negligas : ex. gr. tutam medicinam dimittas , incertam adhibeas . Quid enim oneris intolerabilis habet obligatio eligendi medicinam tutam præ incerta ? Idem in ſimilibus dicas : Quid eſt enim oneris intolerabilis in adhibenda materia , aut forma ſacramentali certa ? Secus autem ſi rationabilis excuſatio ſubſit ; ex. gr. ſi tutæ medicinæ ſumptuoſius pretium nimium damni inferat familiæ tuæ , licebit minus tutam adhibere , quæ ſtet tolerabili pretio.

QUINTA PROPOSITIO.

Quotieſcunque eſt opinio rationabilis , ſeu vere probabilis hanc actionem non eſſe malam , vel prohibitam , vel præceptam , poteſt quis conficere ſibi judicium certum conforme tali opinioni apud ſe quo ſic ſtatuat: *ſine dubio , aut rationabili formidine , mihi licita*

 ta

ta hæc actio eſt: „ Quia, inquit Suarez, ex-
„ cedit ordinarium modum humanæ facul-
„ tatis, majorem cognitionem obtinere in
„ ſingulis actionibus, eſſetque onus intole-
„ rabile obligare omnes homines ad confe-
„ rendas ſingulas opiniones, an hæc ſit æque
„ probabilis, an alia? an ſit probabilior al-
„ tera? „ Si nimirum agatur de opinioni-
bus hinc inde controverſis. Multo autem minus tolerabilis fuerit obligatio in dubiis moralibus ſequendi quod tutius, præ minus tuto, ut ei conſtabit, qui experiri voluerit. His conſentit P. Paulus Segneri, tantæ ſcilicet ſanctitatis, ac doctrinæ vir, qui *Ep.1. de Probabili n.*18. „ Si, inquit, obligatio eſ-
„ ſet ſequendi probabiliora, difficulter ſci-
„ rem, quo me pacto ſalvarem „: Adeo ſcilicet hoc onus humanas vires excedit:

Cl. Auctor animadverſionum ad *Hiſt. Eccl. Nat. Alex. in Tom.*1. *ſuæ Theol. tr.*1. *de Act. Hum. q.*1. *c.*2.: „ Qui diligenter
„ morali ſtuduit Theologiæ, non anxius ſit
„ circa illam tam agitatam quæſtionem, an
„ licitum ſit ſequi minus probabile in con-
„ ſpectu probabilioris? Probabiliora ſequen-
„ da docuit me meus Præceptor, & pari-
„ ter ego pluribus ab hinc annis eamdem
„ docui ſententiam: At experimento vidi
„ nihil ad praxim deſervire. Quis etenim
„ vel ſtudendo, & præcipue dum audit con-
„ feſſiones, poteſt omnia momenta utriuſ-
„ que partis librare, & inde definire: *Hoc*
„ *eſt minus probabile; hoc probabilius*: Hoc
„ eſſet onus intolerabile: Satis mihi fuit
„ in

„ in praxi ſequi ſententias, quas *rationabili*
„ fundamento innixas putavi, & ita credi-
„ di ſatisfeciſſe meæ conſcientiæ, abſque eo,
„ quod judicem me conſtituerem inter mi-
„ nus probabilem, & probabiliorem.

Idem Principium, quod Suarez uſurpavit, ſimplicius efferebant veteres, cum nondum hæc controverſia exorta eſſet in ſcholis ſub an. 1577. Gerſon Cancellarius Pariſienſis. *De Contract. Part.*2. *Prop.*12. „ Probabilis
„ certitudo ſufficit in Moralibus „ & iterum,
„ ſufficit ad hoc probabilis conjectura „ Addit cum Ariſtotele, quem citat „ eam ſequen-
„ dam groſſe, & figuraliter „ : Verba Gerſonis laudat, & exſcribit S. Antoninus in ſumma *Par.*1. *tit.*3. *c.* 10. Willelmus antiquus S. Raymundi Gloſſator apud Nider *de Sent. Præc. & Excom. c.*24. „ In capiti-
„ bus Juris, ubi dubitant etiam Sapientes,
„ excuſabilis eſt ignorantia: unde ſi quis
„ bona fide partem illam, vel illam elege-
„ rit, non debet ſuper hoc conſcientiam
„ habere nimis ſcrupuloſam „ : Joannes Nyder, qui floruit ſub initia ſæculi xv. in Conſolatorio *P.*3. *c.*11. „ Reperi in libris vete-
„ ribus Ordinis noſtri Prædicatorum reſpon-
„ ſa plura quæ data eſſe videntur a D. Al-
„ berto eo adhuc vivente .... Quilibet
„ homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis
„ quamcumque opinionem voluerit, dum-
„ modo alicujus magni Doctoris opinionem
„ ſequatur „ ſive ut ait Navarrus in Manuali *c.*17. *n.*288. „ In foro conſcientiæ ad effec-
„ tum non peccandi ſufficit eligere pro ve-
„ ra

„ ra opinionem ejus , quem merito cenſemus eſſe virum ad id idonea ſcientia, & „ conſcientia præditum „: Sive ut habet Soto in Trid. Conc. Theologus: *l.6. de Juſt.q.1. ar.6.* „Quando ſunt opiniones probabiles inter graves Doctores, utramque ſequaris, „ in tuto habes conſcientiam „: Quare illud Suarezii principium: „ Obtinere majorem cognitionem in ſingulis actionibus „ excedit ordinarium modum facultatis humanæ, eſſetque onus intolerabile „ habitum fuit apud veteres, tamquam propoſitio per ſe moraliter nota; veriſſimeque, ut opinor, ſcripſit, & Theologica Hiſtoria comprobavit Terillus Script. Cl. *lib. de Probab.* „ Ante hanc controverſiam neminem principium illud negaſſe „.

Ratio præterea in promptu eſt: In Innumeris enim moralibus opinionibus inter doctos controverſis moraliter impoſſibile eſt definire, tum quæ ſententia probabilior ſit *Univerſæ Eccleſiæ*; tum quæ ſit probabilior *operanti*. Ac primo quidem, quis ſciat, quænam ex controverſis opinionibus plures habeat ſectatores, quæ vero pauciores? Non omnes libros habemus, non omnia manuſcripta: neque ſi eſſent ad manum, legere poſſemus omnia. Quamplurimi docti ſunt, qui nihil ſcribunt: Ad hæc: Auctores non numerandi tantum ſunt, ſed etiam ponderandi. Quærendum eſt, qui ſint ingenioſiores? qui doctiores? qui majus ſtudium adhibuerint? qui ad ſtudium attulerint animum magis a paſſionibus, ac præjudiciis va-

vacuum? Hæc qui expleverit omnia, is merito pronunciaverit : „ Hæc ſententia præ alia mi-
„ nus eſt probabilis, hæc eſt probabilior *apud*
„ *Eccleſiam*, *ſeu litterariam rempublicam*.

At etiam impoſſibile eſt homines ſcire, quænam ex ſingulis controverſis opinionibus ſit *operanti* minus probabilis, aut probabilior? Atque inprimis judicium hoc comparativum, ſatis operoſum, laborioſum, ac metaphyſicum, ſiquidem non leve ſit, ſed validis rationibus innixum, excedit hominum vulgus, pauciſſimis exceptis, ideſt ſolis doctioribus Theologis, ac Canoniſtis, qui aliorum comparatione pauci ſunt: deinde vero doctiores ipſi hoc poſſunt perquam raro, nempe cum poſſunt, & volunt per longum, & operoſum ſtudium examinare omnia, ac expendere: Quamquam, & ſæpe accidat, ut diuturno adhibito ſtudio neſciat vir doctus, quæ ſibi ſit verior, aut probabilior ſententia, ſed adhuc ambiguus fluctuet: Quare ipſimet Thyrſus, Antoine, aliique, qui docent debere hominem ſequi probabiliora, in occurrentibus dubiis nonniſi probabilia eligebant; quæ tamen probabiliora vocabant: neque enim ipſis fuit tolerabile, quod Suarez, Segneri, Roncagliæ intolerabile onus fuit.

Ceterum hæc ipſa major probabilitas, quæ *reſpectiva operanti* dicitur, eſt morum regula ſatis laxa, & admodum periculoſa, quod Segneri optime animadvertit: Quotuſquilque enim fuit damnatarum propoſitionum auctor, qui ſuam ſententiam non putaverit

rit ſibi probabiliorem ? nullus extitit Queſnellianus, qui quamlibet ex 101. Propoſitionibus a Clemente XI. proſcriptis non *ſibi* probabiliſſimam cenſuerit. Verum hoc obiter:

Itaque perſpicuum eſt, obligationem ſequendi, *adeoque*, *&* *ſciendi* controverſas ſententias, ac definiendi, quæ ex iis ſint probabiliores *Eccleſiæ*, aut ſaltem ipſi *operanti*, excedere ordinarium modum operandi facultatis humanæ, atque eſſe intolerabile onus, neque plus obligationis homini imponi poſſe, quam, ut ſciat, quid ſit probabile, ac rationabile, ſive magis, ſive minus tutum fuerit: Dixi *adeoque*, *&* *ſciendi*: nam, ut docet cum omnibus Suarez, *debitum faciendi includit debitum ſciendi*:

Verum fac homines facile ſcire poſſe, quid in ſingulis moralibus controverſiis minus ſit probabile, quid magis? Obligatio tamen ſequendi probabiliora intolerabile onus eſſet, ſin minus ſingulari operanti, certe & Eccleſiæ, & Civili Reipublicæ univerſæ; rueret enim obedientia, quam præſtare ſubditi debent Præpoſitis: Ea autem poſtulat, ut liceat ſubditis juſſiones imperantium exequi, de quarum honeſtate habeant *tantummodo probabilem* opinionem; nihil vero curent, an contrarium ſit probabilius.

I. Etenim ſola gravis, ac probabilis ratio ducta ex auctoritate Regis, etiam Ethnici, præcipientis, contra quam nullum ſit evidens argumentum apertæ injuſtitiæ, tantum roboris omni ævo habuit, ut inde boni

ni milites efformaverint ſibi rectam in bellando conſcientiam : quod tradidit Auguſtinus *l.22. c. Fauſtum c.74. & 75.* „ Vir juſ- „ tus , ſi forte ſub Rege homine etiam „ ſacrilego militet, recte poteſt illo juben- „ te bellare, civicæ pacis ordinem ſervans „ quo autem pacto id *recte* poſſit , explicat ſtatim : „ cui inquit , quod jubetur , vel „ non eſſe contra Dei præceptum certum „ eſt, vel utrum ſit , certum non eſt, ita „ ut fortaſſe reum faciat regem bellandi ini- „ quitas, innocentem autem militem ordo „ ſerviendi „ : Quem ſerviendi ordinem ita expones : „ juſſio noſtri Principis de bello „ gerendo gravis eſt , & probabilis ratio , „ ſive , quod idem eſt , ſecum præſumptio- „ nem trahit gravis rationis: non eliditur „ contraria certa , & evidenti ratione : His „ ſic ſtantibus, certo licet nobis bellum „ : Ruit autem ordo ſerviendi , ſi poſſit miles in hunc modum excipere : „ Mihi quidem „ conſtat probabiliter de juſtitia belli, at „ non probabilius : Mei Regis rationes pro- „ babiles mihi ſunt , at non probabiliores „ præ rationibus adverſi Regis , cum de „ utriſque rite inſtructus non ſim , neque „ eſſe poſſim : nequeo igitur pugnare lici- „ te , atque honeſte „ .

II. Idem dixeris de Juſſionibus Principum in materia civili : quæ juſſiones latiſſime patent per omnia mundana ſæcula , & in omnem nationem , quemadmodum , & militares

III. Idem dixeris de Judicialibus Laicorum

rum Sententiis, quæ ſui natura non juſſiones, ſed declarationes ſunt, quibus manifeſtatur Jus uniuſcujuſque. Jam vero hæ ſententiæ, ſeu declarationes apud litigantes, ſive reos, ſive actores, non ſunt niſi ratio probabilis: Si quis enim ita colligat: „ Ju„ dex hoc declaravit, eſt ergo probabilius „: erit illatio ſatis ſtulta: cum in dies judicum ſententiæ ab aliis Judicibus reſcindantur: Vi tamen harum ſententiarum, Principes adjudicant ſubditis bona realia, Jura, aut quaſi Jura: Quibus hæc adjudicantur, ea honeſte poſſident: qui autem jubentur ea victori tradere, etiam cum ſuorum filiorum damno, ridebuntur ſane, ſi exceperint Judicis ſententiam eſſe ſibi probabilius injuſtam, eaque de cauſa ſe non poſſe eam honeſte exequi.

IV. Transferas hæc ad Eccleſiaſticam Hierarchiam, in qua Prælati paſſim jubent. Etſi vero ii præceperint ducti probabilioribus, aut probabiliſſimis rationibus, has plerique ſubditorum fere ſemper ignorant: Una tamen Prælati Juſſio fundamentum ſubditis præbet, quo gravem ac probabilem pro Præcepto rationem præſumant. Nemo autem ambigit quin obediendum ſit Prælatorum imperiis, quamquam ſubditis rationes probabiles in contrarium, vel probabiliores occurrant, dummodo evidens injuſtitia ab eo abſit, quod imperaverit Prælatus. Id adeo certum eſt, ut Terillus in Regula Morum *q.46. Nec quemquam inveni*, inquit, *qui contrarium teneat.*

Idem

V. Idem eſt pronunciandum de Judicialibus Prælatorum ſententiis: ſive de temporalibus bonis, aut juribus utilibus diſputetur, ſive de matrimonialibus cauſis, ac ſpeciatim matrimonii validitate, aut invaliditate. Conjuges, & oportet, & opus eſt ſuæ ipſorum opinioni renunciare, quam probabiliorem putabant, ſequi autem judicantis Prælati ſententiam, quæ quidem Prælato probabilior eſt; at conjugi in judicio ſuccumbenti nonniſi probabilis, & gravis, & rationabilis eſſe poteſt, & debet.

In exemplum ſit controverſia, quæ in Sacri Concilii Congregatione agitata eſt anno 1753. die 7. Aprilis, & 22. Septembris, validum ne, an nullum cenſendum foret matrimonium D. Didaci Archayna in civitate Murciæ cum Melitona Melendez: Pro nullitate ſtetit Epiſcopus Murciæ, tum Nuncius Hiſpaniarum cum tribus Theologis, quos pro veritate conſuluit; deinde tres ex quatuor Doctoribus, qui a Sacra Congregatione Concilii juſſi Romæ ſunt ſcribere pro veritate; poſtremo in ipſa Concilii Congregatione ſex Cardinales. Pro valore ex quatuor Romanis Doctoribus ſcribere juſſis unus tantum ſtetit: In ipſa autem Congregatione Concilii ſeptem Cardinales. Quare exceſſu unius Cardinalitii Voti pronunciavit Sacra Congregatio pro matrimonii validitate. Conſtant hæc ex Curialibus Informationibus Romæ impreſſis, quas legi, & ex Actis Congregationis, ſeu Regiſtris. Septem Cardinalium votum approbavit

bavit Benedictus XIV. ac vir juſſus eſt acquieſcere matrimonio, cujus valorem impugnabat.

Velim autem hæc obſerves 1. Benedictus XIV. judicare non potuit valorem matrimonii his circumſtantiis affecti eſſe probabiliorem apud *univerſam Eccleſiam*, ſeu *abſolute*: cum tam multi contradicerent, ſuamque contrariam opinionem probabiliorem, ac veriorem cenſerent. Neque vero judicare potuit eum valorem *ſibi* eſſe probabiliorem, &, ut ajunt, *reſpective*; non enim vacat Romano Pontifici tot volumina legere Curialium Informationum pro, & contra; quod omnino faciendum fuerat, ut tandem prudenter pronunciaret: „ Ex „ proprio, & accurato hujus Cauſæ ſtudio „ probabilior mihi eſt valor controverſi ma„ trimonii. „ Igitur ex ſuffragiis ſeptem Cardinalium contra ſex, Pontifex unum hoc judicare potuit: *matrimonii validitatem gravi, ſolido, ac probabili fundamento* inniti. Hoc ductus judicio, cum ex ſtilo Tribunalium Vota numerentur, mandavit, ut pro matrimonii valore cauſa expediretur:

Obſerves 2. Vir qui ſtabat contra valorem matrimonii, hanc opinionem habebat uti probabiliorem, imo abſolute veram. Is autem audita Congregationis contraria ſententia per Pontificem confirmata, quæ confirmatio non auget auctoritatem doctrinalem ſententiæ, cum detur ex ſtylo curiæ, longeque diſtet a Pontificia definitione, non idcirco judicare prudenter potuit opinionem pro

pro valore eſſe probabiliorem propter unius ſuffragii numericum exceſſum. Tamen ſententiæ decernentis Congregationis, quæ ſibi eſſe potuit tantummodo probabilis, potuit ſanctiſſime obſequi, tum deinde in matrimonio ſibi probabiliter tantum valido conjugaliter vivere: Imo vero non potuit tantum, ſed etiam debuit; quare licuiſſet nolentem per Cenſuras Eccleſiaſticas ad cohabitandum cogere, ea omnino exceptione neglecta, qua diceret nullitatem matrimonii ſibi eſſe *probabiliorem*: Tutius quidem fuiſſet utrumque Conjugem ſeparari ad cælibem vitam in monaſteriis ducendam; at nemo ſanus de hoc remedio præſcribendo cogitat. Quæ in ſingulari hoc exemplo diſputavi, ea nimium ſæpe contingunt, cum his matrimonialibus cauſis tribunalia omnia Eccleſiaſtica ſerveant. Quin etiam apud Infideles hæc locum habent, in quibus matrimonium contractus eſt, non Sacramentum.

At, inquies, qui fieri poteſt, ut ſequens ſententiam rationabilem, ac probabilem, habeat dictamen conſcientiæ certum de ſuæ operationis honeſtate?

Id enim vero facillimum eſt, ſi duos veluti gradus, ſive, ut loquuntur Theologi, ſigna diſtinxeris.

Finge militem ita dicentem: „ rationa-
„ bilis, ac probabilis eſt mihi juſtitia bel-
„ li, quod meæ gentis Rex indixit: At pro-
„ babilis mihi quoque eſt injuſtitia, aut
„ etiam probabilior: Ita enim Rex adver-
„ ſa-

„ ſarius opinatur „ . Si conſtitutus miles in hoc veluti judicandi gradu, qui totus eſt probabilitat s; imo vero dubietatis, incertitudinis, ambiguitatis, formidinis, procedat ad bellum, graviter peccabit, omnibus in id conſentientibus ſive Probabiliſtis, ſive Probabilioriſtis, ſive Tutioriſtis; conſtat ex 111. Propoſitione, de qua ſupra.

Imo ille quoque peccaret, qui ad bellum procederet ex hoc tantum judicio: „ Probabilior mihi eſt belli juſtitia, quamvis etiam injuſtitia probabilis ſit „: Neque enim Probabilioriſta hoc pacto judicans excludit rationabilem formidinem, ne ſub ea *probabilioritate* lateat injuſtitia. Donec ergo miles in hoc ſtatu, ac veluti gradu ambiguitatis, ac formidinis maneat, cohibeat ſe a bello, neceſſe eſt; illudque non ex conſilio tantum, ſed ex præcepto ſervet *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: Tutius eſt autem ad bellum non progredi, ſed domi manere.

Oportet itaque eum militem ad altiorem veluti gradum conſcendere, in quo omnem ambiguitatem rationabilem, & prudentem abjiciat, & illi directo judicio: *mihi probabilis eſt juſtitia belli*: quod in *priore gradu* conſtitutus habuit, judicium aliud, ſeu principium reflexum in *altero hoc gradu* ſuperaddat, quo ita ſecum ſtatuat: „ At quoniam excedit ordinarium „ modum humanæ facultatis majorem co„ gnitionem obtinere in ſingulis actioni„ bus,

„ bus , eſſetque onus intolerabile obligare
„ omnes homines ad conferendas ſingulas opi-
„ niones, quæ ſit minus, aut magis proba-
„ bilis : Idcirco præſuppoſita opinione ve-
„ re probabili , ac rationabili de juſtitia
„ belli, certiſſimum mihi eſt, ſine ulla ra-
„ tionabili formidine , me hic, & nunc li-
„ cite ad bellum procedere „ : quod totum breviter complectitur rudis quiſque, dum dicit : *operor ex bona ratione*; vel *rationabiliter operor*.

Quare vides eos quoque, qui tamquam Probabiliſtæ ſuggillantur, veriſſime dici poſſe *Certioriſtas*, non quidem attento priore judicio directo ſpeculativo, in primo illo gradu, ſeu ſigno; ſed altero reflexo judicio, ſeu dictamine practico in gradu, ſeu ſigno poſteriore.

Poſſe hominem in altero hoc principio, ac judicio eſſe omnino certum, probatum eſt; ſi cui probationes non ſatisfaciant, nec elicere poſſit alterum hoc judicium reflexum *certum*, & cum omnimoda intellectus adhæſione, ſed fluctuet, atque ambigat, is ex omnium conſenſu nequit operari conſentanee ad ſententiam probabilem: Neceſſe ergo erit, ut ſequatur probabiliora, aut tutiora, quod, an illi ſit tolerabile, ipſe viderit.

Ecce tibi ſyſtema Suarezii de Principio Juris Naturalis cognoſcendi, ejuſque ad praxim uſu in his, quæ dubia, aut obſcura ſunt. In quo quidem ſyſtemate Hiſtorice ex-

expoſito, aliqui ſive ex Probabiliſtis, ſive ex Probabilioriſtis, ſive ex Tutioriſtis nonnulla forte animadvertant, quæ ſibi falſa videantur; nullam tamen, ut puto, (quod Thomaſius, & Heineccius Proteſtantes Suarezio exprobrarunt) ſceleſtam doctrinam præſeferunt.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAQ 898

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google